# STUDIA TERENTIANA

## I.

# DE INFINITIVI USU APUD TERENTIUM.

---


SCRIPSIT

**CAROLUS VALLQUIST.**





**NYCOPIÆ**

TYPIS DESCRIPSIT AKTIEBOLAGET SÖDERMANLANDS LÄNS TIDNING

MDCCCXCVII.

Antequam ad id, quod tractandum mihi proposui, accedam, pauca volo de sententiis, quas in ipsa natura infinitivi investiganda veteres grammatici habuerunt, præfari. [1] Tum primum animadvertendum est grammaticos Latinos quæ de hac re tradunt non ipsos invenisse sed sumpsisse a Græcis. Ceterum in eam interpretandam et philosophi et grammatici certatim animos defixerunt, maxime exquirentes, cui parti orationis infinitivus sit assignandus.

Aristoteles, vir ille doctissimus atque eruditissimus, in omni scientiæ genere versatus etiam linguæ investigationi operam dedit et novas vias literarum cognitioni aperuit, qua re progressus eius maxime sublevavit. Summo studio, ut scimus, disceptationis illius analogiæ et anomaliæ particeps fuit et primus ostendit differentiam casuum inter se atque numerorum. Et imprimis ad vocabula generatim describenda, ad eam partem linguæ perscrutationis, quæ est de vocabulis, illius opera et studio plurimum effectum est. Verum illud quidem est, Aristotelem *ὄνομα* et *ῥῆμα* nimis infinite, quamquam melius quam priores, definire, ut de quibusdam partibus orationis, quas ignorabat Aristoteles sed nos subtilius inter se distinguimus, incertum sit, ad utram partem sint referendæ; sed de eo, quod nomine infinitivi Romani appellabant, dubitari non potest. Ad *ῥῆμα* enim infinitivum referendum esse ex hac Aristotelis definitione [2] facile apparet: *ῥῆμα δέ ἐστι τὸ προσσημαῖνον χρόνον, οὗ μέρος οὐδὲν σημαίνει χωρίς, καὶ ἔστιν ἀεὶ τῶν καθ' ἑτέρου λεγομένων σημεῖον.*

Stoici auctores sunt rei grammaticæ. Aristoteles autem maxime studio dialecticæ ac philosophiæ adductus linguæ operam dedit neque artis grammaticæ scientiam habuit,

---

[1]) Cfr Jolly, Geschichte des Infinitivs im Indogermanischen, München 1873, pag. 12—48.

[2]) Jolly, pag. 13.

id quod tamen non ita accipiendum est, quasi dicam eum varietates rerum grammaticarum prorsus non sensisse, sed id commemoratum volui, eum rationes legesque illas grammaticorum nunc notissimas ignorasse. Quod ad infinitivum attinet, argumentis ostendi potest Aristotelem, proprio eius nomine eum non appellantem, hanc verbi figuram attentius consideravisse. Stoici infinitivum eodem nomine quo verbum vocant eum meram verbi notionem (*γενικώτατον ῥῆμα*) exprimere putantes; neque dubium est, quin illi, cum verbum definirent *ἀσύνθετον κατηγόρημα*, infinitivum, ut ostendit Jolly, [1] intellexerint.

Stoicos sunt principes linguæ perscrutationis secuti grammatici et philologi Alexandrini, qui cum aliis rebus grammaticis tum infinitivo operam navarunt et huic verbi figuræ nomen dederunt, quo, Latine reddito, etiam hodie vocatur. Et in puerorum enim institutione et alias opus erat propriis nominibus *ῥῆμα* angustius valens et latius patens dilucide inter se discerni. Qua in distinctione illud ab Alexandrinis *ἀπαρέμφατος* (sc. *ἔγκλισις*) sive *ἀπαρέμφατον* (sc. *ῥῆμα*) appellabatur. Quis auctor eius vocabuli fuerit, latet; fortasse Aristarchus. Primi, quantum scimus, Dionysius Thrax et Trypho, Aristarchii, *ἀπαρέμφατον* in libris usurpaverunt. Sed vim huic voci subiectam multi prave interpretati sunt, quibus respondendum est *ἀπαρέμφατον* contrarium esse ei, quod vocatur *ῥῆμα παρέμφατον*. Recte igitur Jolly hæc: [2] "Kurz der Name *ἀπαρέμφατος* geht nicht auf die undeutliche oder deutliche Bezeichnung (*ἔμφασις*), sondern auf den Mangel der Nebenbedeutung (*παρέμφασις*), oder der Nebenbedeutungen. Dieser bei den Grammatikern nicht selten begegnende Ausdruck nimmt nehmlich darauf Bezug, das bei dem Begriff des Verbums nach ihrer Auffassung zwischen wesentlichen und unwesentlichen Merkmalen zu unterscheiden ist; letztere, die *παρεπόμενα*, *παρεμφάσεις* oder Accidentien, sind Personen-, Numerus- und Modalitätsbezeichnung; sie sind nur dem flectirten Verbum eigen, fehlen aber dem Infinitiv, welcher allein die beiden wesentlichen Merkmale, das *πρᾶγμα* d. i. die Bezeichnung des Handelns oder Leidens und das Zeitverhältniß mit dem Verbum gemein hat. Das Fehlen jener Nebenbedeutungen — — — — — ist es, was durch den griechischen Namen des Infinitivs ausgedrückt wird."

Stoici dicunt *ῥῆμα* esse *στοιχεῖον λόγου ἄπτωτον σημαῖνόν τι σύνταχτον περί τινος ἤ τινων, οἷον γράφω, λέγω*. Paulo copiosior est definitio in libro Dionysii, qui *Τέχνη γραμματική* inscribitur, prolata, quæ definitio, a Schoemanno [3]) emendata, hæc est: *ῥῆμά ἐστι λέξις ἄπτωτος κατηγόρημα σημαίνουσα, χρόνων τε καὶ προσώπων καὶ ἀριθμῶν ἐπιδεκτική*. Hanc tamen definitionem nonnulli non recte intellexerunt, ut eam etiam infinitivum complecti negaverint.

Diligentissime et verbi et infinitivi in naturam inquisivit Apollonius Dyscolus, a quo omnes posteriores permulta sumpserunt. Is infinitivum inter modos refert eumque censet esse *γενικώτατον ῥῆμα*. Interdum tamen sibi non constat. [4]

---

[1]) Pag. 15.
[2]) Pag. 17 sq.
[3]) G. F. Schoemann: Die Lehre von den Redetheilen nach den Alten, Berlin 1862, pag. 17.
[4]) De his rebus ostendere volo, quæ in libro suo Jolly (pag. 20 sqq.) scripsit.

Sed nunc ad grammaticos Latinos transeamus, de quibus tamen id tantum hic opus esse ostendere puto, eos prope omnes, ut ante dixi, nihil attulisse, nisi quæ Græci antea protulerunt. Ceterum pauci et Græcorum et Latinorum infinitivum *ὄνομα ῥήματος* putabant, pauciores *ἐπίῤῥημα* (adverbium).

Etiam grammaticorum recentiorum multi in infinitivi naturam accuratissime inquisiverunt. Sed longum est omnia hic afferre, quare ea hoc modo volo paucis comprehendere:

Infinitivus vi et natura ad similitudinem substantivi verbalis, qui dicitur, proxime accedit; quibusdam autem rebus maxime inter se differunt. Primum igitur commemorandum est illum menti saltem se offerre ad subiectum quoddam pertinentem, hoc autem quasi omnia in se posita habens et per se ipsum completum nobis obversari. Qua re fit, ut infinitivo plus maneat significationis verbalis, velut eum cum iisdem invenimus casibus coniunctum ac modos finitos. Deinde simul monendum est infinitivo tempora esse (præsens, perfectum, futurum), quibus actio infinitivi in quod tempus cadat actioni verbi, ut ita dicam, primarii opposita in lucem profertur, atque duas formas: activam et passivam. Neque vero illud prætereundum, quod eius attributa, quæ vocantur, adverbialiter, non in figuram adiectivam formata, ei apponuntur. Sed pronominum genus neutrum in singulari positum pro attributo esse forma adiectiva usurpatum his confirmari potest exemplis aliisque: Pl. Curc. 180 Totum amare hoc, Cic. Fin. I,1,1 Quibusdam totum hoc displicet philosophari, Pers. I,122 Hoc ridere meum.

---

# I.

# De infinitivo, cui additum non est subiectum grammaticum.

Infinitivum dativum casum esse substantivi verbalis et alii docent et Schmalz, qui idem quomodo usum infinitivi incrementa paulatim cepisse ostendat, [1] ut memorabile, in brevi conspectu positum afferam.

Ita sentire mihi videtur, infinitivum primo quidem tantummodo vice dativi finalis, qui dicitur, functum, cum e locutione d a r e b i b e r e simil. novæ emanassent significationis finalis parum participes, propter gratam commoditatem in breviter dicendi genere sitam etiam obiecti [2] partes in dies magis suscipere coepisse; qua ratione verba inter se connectendi instituta promptissimum fuisse illi commoditati servientes ad hac verbi figura subiecto utendum accedere. Sed et Græcam linguam huius locutionum incrementi nonnihil auctorem fuisse neque negat ille neque negare licet.

## A. De infinitivo subiecti enuntiationis locum obtinente.

Iam temporibus Terentii sæpissime fieri solebat, ut munera subiecti infinitivo exsequenda permitterentur; qui cum hunc sententiæ locum obtinet, actio verbi universa spectata in explicationem, pæne dicam, cadit atque iudicium.

Quæ de prædicativo, quod vocatur, notabilia putavi videre licet infra.

Infinitivus loco subiecti positus coniungitur

### 1) **cum locutionibus impersonalibus**

#### a) ***esse cum adiectivis:***

Hec.[3] 620 *E medio* æquom *excedere est.* 840 *Multa ex quo fuerint commoda, eius incommoda æquomst ferre.* Ad. 968 *Prodesse æquomst.* — Hec. 740 *Inscitum offerre iniuriam tibi inmerenti* iniquom *est.*

---

[1]) J. H. Schmalz, Lateinische Syntax (in »Handbuch der klassischen Altertums-Wissenschaft«, von Iwan von Müller), § 218 sqq.

[2]) Huc Schmalz etiam usum infinitivi ad verba imperfecta se applicantis refert.

[3]) In exemplis describendis usus sum editione Umpfenbachii (Berolini MDCCCLXX).

Andr. 311 *Omnia experiri* certum*st prius quam pereo.* Eun. 188 *Ita facere certumst.* 269 *Nebulonem hunc certumst ludere.* 388 *Certumst facere.* Heaut. 466 sq. *Certumst tibi sic facere.* Phorm. 551 sq. *Certumst persequi aut perire.* Hec. 402 *Seruare in eo certumst quod dixi fidem.* Ad. 717 sq. *Nunc uero domi certum obsidere est.*

Phorm. 1026 *Exsequias Chremeti quibus est* commodum *ire, em tempus est.* 603 *Commodius esse opinor duplici spe utier.* — Hec. 153 *Hoc ego proferre* incommodum *mihi esse arbitror.* 417 *Nauigare incommodumst.*

Phorm. 438 sq. *Si tu illam attigeris secus quam* dignum*st liberam (attingere), dicam tibi inpingam grandem.*

Eun. 260 sq. *Uidet mihi esse tantum honorem et tam* facile *uictum quærere.* Ad. 862 *Id esse uerum ex me atque ex fratre cuiuis facile est noscere.* [Aliam constructionem hæc commonstrant exempla: Hec. 277 *Non facile est expurgatu.* 296 *Cuiuis facile scitu est quam fuerim miser.* Phorm. 300 *Nihil est dictu facilius.*] — Andr. 211 *Cui uerba dare* difficile*st.*

Hec. 71 sq. *Tamen pol eandem* iniurium *est esse omnibus. Iniurium autem est ulcisci aduersarios?*

Ad. 180 *Ante ædes non fecisse erit* melius *hic conuicium.*

Phorm. 848 *Num* mirum *aut* nouom *est reuocari, cursum quom institeris?*

Eun. 998 Necessus *fuit hoc facere.* Heaut. 209 *Necesse est, Clitipho, consilia consequi consimilia.* Phorm. 296 *Non fuit necesse habere.*

Ad. 74 sq. *Hoc* patrium *est, potius consuefacere filium sua sponte recte facere quam alieno metu* (v. pag. 13).

Heaut. 210 Scitum*st periclum ex aliis facere.* Phorm. 821 *Quam scitumst eius modi in animo parare cupiditates!*

Eun. 761 *Set tu quod cauere possis* stultum *admitterest.*

Heaut. 481 sq. *Quantam fenestram ad nequitiem patefeceris, tibi autem porro ut non sit* suaue *uiuere!*

Phorm. 690 sq. *Quid minus* utibile *fuit quam hoc ulcus tangere aut nominare uxorem?*

Hac in sectione etiam s a t (s a t i u s) e s s e demonstrari licet, in qua verborum coniunctione s a t (s a t i u s) adiectivum possit haberi: Phorm. 768 sq. *Nonne id* sat *erat, accipere ab illo iniuriam?* (v. pag. 13). — Heaut. 474 sq. *Et tibi perdere talentum hoc pacto* satius *est quam illo minam.* Phorm. 956 *Emori hercle satius est.* Ad. 57 sq. *Pudore et liberalitate liberos retinere satius esse credo quam metu.* 234 sq. *Ut sit satius perdere quam aut nunc manere tam diu aut tum persequi.*

***Annot.*** Tribus locis infinitivus est locutioni e s s e cum pron. poss. appositus.

Andr. 678 *Tuomst . . . mihi ignoscere.* Heaut. 549 *Non est mentiri meum.* 578 *Sed nostrum est intellegere, ut cumque atque ubi cumque opus sit obsequi.* [Cfr Andr. 168 sq. *Nunc tuomst officium, has bene* u t *adsimules nuptias.* — 330 sq. *Ego, Charine, neutiquam officium liberi esse hominis puto . . . postulare id gratiæ apponi sibi.*]

b) ***esse cum substantivis.*** Posita sunt hæc in casu

α) n o m i n a t i v o:

Heaut. 566 sq. *Istæc quidem* contumelia (= contumeliosum) *est hominem amicum recipere ad te atque eius amicam subigitare* (v. pag. 13).

Ad. 422 sq. *Nam id nobis tam* flagitiumst *quam illa, Demea, non facere uobis, quæ modo dixti* (flagitiumst idem significat quod flagitiosum est).

Ad. 216 *Pecuniam in loco neclegere maximum interdumst* lucrum (maximum lucrum = lucrosissimum).

Phorm. 885 sq. *Summa eludendi* occasiost *mihi nunc senes et Phædriæ curam adimere argentariam* et genitivum gerundii et infinitivum præbet, in qua priore verborum constructione substantiva vocis occasionis natura magis in lucem prodit, contra in posteriore summa occasiost = opportunissimum est.

Officium Andr. 330 sq.: v. supra (*Annot.*).

Andr. 217 *Audireque eorumst* operæ pretium *audaciam.*

Heaut. 578 *Sed nostrum est intellegere, ut cumque atque ubi cumque* opus *sit obsequi.*

Heaut. 228 *Nihil esse mihi* religiost *dicere.*

Eun. 937 sqq. *Harum uidere inluuiem sordes inopiam . . . nosse omnia hæc* salus (= salutare) *est adulescentulis.*

Hec. 202 *Uiris esse aduersas æque* studium *est* idem significat quod "viris esse adversæ æque student".

Hec. 597 Tempus (= tempestivum) *est concedere.* [Gen. gerundii: 746 *Tibi tempus consulendi est.*]

β) genitivo:

Hec. 529 *Neque adeo arbitrari patris est aliter* (patris est = patrium est (Ad. 74), patrem decet). Ad. 734 *Simulare certe est hominis.*

***Annot.*** Cum his locutionibus confer: Andr. 867 *Ostendam, erum quid sit pericli* (= quam periculosum sit) *fallere.* Eun. 640 sq. *Certe extrema linea amare haut nihil est.* 791 *Quanti est sapere!* Phorm. 61 sq. *Quid mihi lucri est te fallere?* 482 *Quantum metuist mihi uidere huc saluom nunc patruom* (venire)!

c) ***esse cum infinitivis:***

Hic igitur duo infinitivi sunt verbo substantivo esse coniuncti, quorum alter subiecti locum obtinet, alter fungitur vice prædicativi.

Ad. 131 sq. *Ambos curare propemodum reposcere illum est quem dedisti.* De Ad. 386 sqq. v. pag. 13. — Cui exemplo cognata sunt: Andr. 896 *Id* (= amare hanc) *peccare est.* Eun. 782 *Illuc est sapere.* Hec. 608 *Istuc est sapere.* Ad. 707 *Hoc est patrem esse aut hoc est filium esse?*

### 2) **cum verbis impersonalibus.**

Hec. 164 *Liberali esse ingenio* decet. — Is quem quid decet acc. casu designatur: Eun. 789 *Omnia prius experiri quam armis sapientem decet.* Heaut. 132 *Quem pariter uti his decuit.* Hec. 252 sq. *Haud ita decet . . . celare te iras.* Ad. 506 *Decet te facere.* 948 *Bene nos aliquid facere illi decet.* 954 sq. *Hanc maculam nos decet effugere.* Sine infinitivo positum "decet" promiscue [1]) habet modo accusativum modo dativum. Acc.: Andr. 421 (= Heaut. 1054) *Facis ut te decet.* 445 *Ut uirum fortem decet.* Eun. 814 sq. *Ita ut fortis decet milites.* Dat.: Ad. 491 *Hæc primum ut fiant deos quæso ut nobis decet.* 928 *Immo hercle ita nobis decet.*

---

[1]) Aliam rei interpretationem invenimus apud Dziatzk. ad Ad. 491 (Carl Dziatzko: Adelphœ, Leipzig 1881).

Heaut. 337 *Nihil satis firmi uideo, quam ob rem accipere hunc mihi* expediat *metum.* 388 *Expedit bonas*[1] *esse uobis.* Hec. 55 sqq. *Date silentium, ut libeat scribere aliis mihique ut discere nouas expediat.*

Andr. 816 *Tum ipsam despoliare non* libet. 263 *Quæ meo cumque animo libitumst facere.* Eun. 548 *Procul hinc lubet prius quid sit sciscitari.* Hec. 55 sq. *Date silentium, ut libeat scribere aliis.* Ad. 445 *Uiuere etiam nunc libet.* 766 *Prodeambulare huc libuit.*

Eun. 35 sqq. *Quod si personis isdem huic uti non* licet, *qui magis licet currentem seruom scribere, bonas matronas facere cet.?* 261 sq. *Homo coepit me obsecrare, ut sibi liceret discere id de me.* 466 sq. *Quæso hercle ut liceat, pace quod fiat tua, dare huic quæ uolumus, conuenire et conloqui.* 550 *Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium?* Heaut. 21, 36, 103, 819 *(licitumst)*, 965, 981; Phorm. 116, 165, 405 sq., 813; Hec. 10 sq., 30 *(licitumst)*, 94, 207, 464, 873; Ad. 179, 824. In versu Ad. 334 scribendo fluctuant editores: exstat apud alios *Ita obsecraturum, ut liceret hanc* se *uxorem ducere* (codicis A ***SIUX***- ita interpretantes), ceterorum codicum *Ita* ... sibi *uxorem ducere* apud alios. Utramvis lectionem deligere per scribendi genus Terentii et leges metricas licet. [Uno loco (Phorm. 347 *Ludas licet*) Ter. verbo licet coniunctivum subiicit, quod dictum quotidiani fuisse sermonis monet Madvig.[2]]

Eun. 331 sq. *Illum* liquet *mihi deierare ... (me) non uidisse.*

Heaut. 634 sqq. *Si meum imperium exsequi uoluisses, interemptam* oportuit, *non simulare mortem uerbis, re ipsa spem uitæ dare.* Phorm. 527 *Itane tandem facere oportet?*

Heaut. 1041 sqq. *Non mihi per fallacias adducere ante oculos* ... pudet *dicere hac præsente uerbum turpe; ad te id nullo modo facere puduit.* Hec. 231 *Cum puella anum suscepisse inimicitias non pudet?* Ad. 562 *Non puduisse uerberare hominem senem!* 690 *Te mihi ipsum puduit proloqui.*

Phorm. 646 sq. *Parui* re tulit *non suscepisse.*

Phorm. 85 sq. Restabat *aliut nihil nisi oculos pascere, sectari, in ludum ducere et reducere.* [586 sq. *Quod si fit,* ut *me excutiam atque egrediar domo, id restat.* Hec. 300 *Quid restat nisi porro ut fiam miser?*]

Phorm. 487 Tædet *iam audire eadem miliens.* — 1011 *Cum hoc ipso* distædet *loqui.*

Andr. 452 *Non filio* uidetur *uxorem dare.*

***Annot. 1.*** Et poetæ et solutæ orationis scriptores nonnumquam *est* cum inf. coniungunt vi verbi licet[3] indutum, quo scribendi genere numquam, si credere licet Schmalzio[4], nec Plautus nec Terentius utitur. Kuehner autem[5] et Holtze[6] Plaut. Truc. II,6,20 "An uincere mest maleficio?" demonstrant et duo exhibet codicum maior pars exempla Terentiana: Heaut. 192 *Quem minus crederest?* Ad. 828 sq. *Scire est* (cod. A: *Scire et*) *libe-*

---

[1]) Pro dativo casu, quem exspectaverimus, est accusativus, de quo vide quæ ad Phorm. 766 *Facimus ut malis expediat esse* dixit Dziatzko. Cfr etiam notum illud Ciceronis: »Civi Romano licet esse Gaditanum«, quam dictionem Madvig (Lateinische Sprachlehre, Braunschweig 1857, § 393: anm. 1), Kuehner (Ausfürliche Grammatik der Lateinischen Sprache, Zweiter Band, Hannover 1878, pag. 500: c); 501: anm. 1) cet. explicaverunt.

[2]) § 389: anm. 5.

[3]) Conferri potest Græcorum ἔστι pro ἔξεστι.

[4]) § 223.

[5]) Pag. 495.

[6]) »Syntaxis priscorum scriptorum Latinorum usque ad Terentium«, vol. II, Lipsiæ 1862, pag. 26.

*rum ingenium atque animum.* Sed auctorem sequentes Lachmannum plurimi editores reiecto verbo est scribunt *crederes, scires;* quo tamen in posteriore versu describendo Spengel codicum lectionem servat inusitatum illum imperfecti coniunct. usum recte refugiens. Dziatzko, qui Madvigio assentitur, *seiris (siris)* scribendum putat.

***Annot. 2.*** Ex versibus supra allatis videre licet sæpe fieri, ut infinitivo loco subiecti posito obiectum subiiciatur. Novies in Ad., ut ceteras comoedias omittam, hunc modum verborum iungendorum invenimus: 57, 74, 131, 179, 180, 216, 334 (si *sibi* malumus), 562, 824. Vide II: A, 2), ***Annot. 1.***

# B. De infinitivo ad verba quæ grammatici imperfecta appellant apposito.

Sæpissime infinitivus cum verbis quibusdam coniungitur, quorum notiones sine eo mancæ sunt, ut desideretur aliquid, quod expleatur. Alias quidem plenam vim verbalem habere possunt, sed in hac sunt constructione imperfecta intelligenda. Infinitivo igitur quod mancum est expletur atque absolvitur, quare pro eo accipiendus est, quod Suecice dicimus "fyllnadsbestämning".

Quæ verba si diligentius consideraverimus, facile in duo genera videbimus digeri posse, quorum unius subiectum idem est atque actionis vel condicionis infinitivo significatæ, alterius aliud. Nam quæ in hoc sunt genere posteriore actionem significant, qua quis alium movet, ut ea quæ infinitivus præbet faciat, vel ne faciat prohibet. Quam ob rem adiectiva vel substantiva si cum inf. ad illa apposito prædicativi loco cohærent in nominativo ponuntur, si ad hæc, in eodem casu atque is qui movetur vel prohibetur. Eiusmodi constructionis hæc atque alia sunt exempla: Andr. 377 *Ipsus sibi esse iniurius uideatur;* 447 *Subtristis uisus est esse aliquantum mihi;* Ad. 125 *Pater esse disce ab illis, qui uere sciunt.*

Ceterum in hac loquendi consuetudine accuratius tractanda prioris generis verba primo enumerabo in duas partes divisa, deinde ea quæ genus posterius complectitur.

### 1). a) ***Verba auxiliaria, quæ vocantur, aliaque verba ad eorum similitudinem proxime accedentia.***

Quo facilius quæ, ad vim quod attinet, inter ea sit ratio appareat, hoc modo distribuenda videntur:

*α*) verba quæ facultatem significant aliquid faciendi vel patiendi.

Ad. 125 *Pater esse* disce.

Andr. 30 sq. *Quid est, quod tibi mea ars efficere hoc* possit[1]) *amplius?* — De primi-

[1]) Permulta præterea exempla sunt, quæ longum est hic enumerare. Ubicumque autem aliam esse rei rationem non est aperte commemoratum, omnia, quæ quidem invenire potui, exempla congregavi. Omni enim exemplorum silva ostendenda scribendi genus Terentii conatus sum quam diligentissime aperire. Quod quamquam efficere volui, tamen et hic et ceteris illis locis putavi supervacaneam esse omnium prolationem.

geniarum huius verbi formarum usu frequenti, quas et cum inf. coniunctas et alias reperiri notum est, vide Engelbrechtum.[1])

Andr. 270 *Egone istuc conari* queam?[2]) 277 *Sed uim ut queas ferre.* 394 *Tibi iure irasci non queat.* 589 *Numquam istuc quiui ego intellegere.* 654 *Suscenset nec te quiuit hodie cogere.* Heaut. 453 *Numquam sufferre eius sumptus queat.* 544 *Tolerare illius sumptus non queat.* Phorm. 489 *Non queo te exorare.* 498 *Neque misericordia neque precibus molliri queas.* Hec. 183 *Non quit pati.* 673 *Tacere non queo.* Ad. 613 *Pectore nihil sistere consili quit.* 737 sq. *Si queam mutare.* — Eun. 181 *Ego impetrare* nequeo *hoc abs te.* 547 *Nequeo satis mirari neque conicere.* 661 *Nequeo mirari satis.* Heaut. 320 *Enim uero reticere nequeo.* Phorm. 240 *Ita sum inritatus, animum ut nequeam ad cogitandum instituere.* 512 *Nequeo exorare ut me maneat.* Hec. 361 *Nequeo mearum rerum initium ullum inuenire idoneum.* 575 sq. *Simul uereor Pamphilum ne orata nostra nequeat diutius celare.* 645 sq. *Nequeo satis . . . proloqui.* Ad. 374 *Nequeo mirari satis.* 520 *E lecto nequeat surgere.* 544 *Nequeo satis decernere.*

Heaut. 196 *Qui uti* scit, *ei bona.* Phorm. 79 *Scisti uti foro.* — Ad. 77 *Fateatur* nescire *imperare liberis.* 220 *Inescare nescis homines.*

β) Verba voluntatis, studii, constituendi simil.

Andr. 505 *Itaque hercle nihil iam muttire* audeo. 613 *Qua audacia id facere audeam?* Eun. 618 sq. *Ille continuo irasci neque negare audere.* 644 *Hocine tam audax facinus facere esse ausum!* 659 *Quid sit audet dicere.* 903 sq. *Neque pol seruandum tibi quicquam dare ausim.* 1045 sq. *Illumne . . . an me qui id ausus sim incipere, an fortunam conlaudem?* Heaut. 156 *Tibi illest credere ausus.* 575 *Expromere omnia mea occulta, Clitipho, audeam.* 623 sq. *Primum hoc te oro, nequid credas me aduersum edictum tuom facere esse ausam.* 925 sq. *Fac ut audeat tibi credere omnia.* 953 *Auderet facere hæc.* Phorm. 758 *Eueniunt quæ non audeas optare.* Hec. 295 *Numquam ausus sum recusare.* 562 *Incendor ira esse ausam facere hæc.* Ad. 567 *Referire non audebam.*

Simplici verbo cernendi nullo apud Ter. loco infinitivus subiicitur. Compositum autem decernere exstat: Andr. 219 *Quidquid peperisset,* decreuerunt *tollere.* Hec. 454 *Certum offirmare est uiam me quam decreui persequi.* [Decretum est: Heaut. 392 *Uobis cum uno semel ubi ætatem agere decretumst uiro.* 465 *Decretumst (mihi) pati.*]

Andr. 343 Cessas *adloqui?* 845 *Cesso adloqui?* Eun. 265 sq. *Set ego cesso ad Thaidem hanc deducere et rogare ad cenam ut ueniat?* 996 *Cesso huc intro rumpere?* Heaut. 410 *Cesso pultare ostium?* 757 *Cesso hunc adoriri?* Phorm. 252 *Sed quid cessas hominem adire et blande in principio adloqui?* 285 *Sed cesso adire quam primum senem?* 377 *Numquam cessauit dicere hodie.* 475 *Phædria haud cessauit pro te eniti.* Hec. 324 *Cesso hinc ire intro?* 544 *Eadem esse nihil cessauisti usque adhuc.* Ad. 320 *Sed cesso eram hoc malo impertiri propere?* 586 *Sed cesso ad eum pergere?* 712 *Sed cesso ire intro?* 916 *Cessas ire ac facere?* — Sæpissime igitur in interrogationibus usurpatum, "quibus" — verba Holtzii[3]) refero — "qui interrogat non id quod nescit sciscitatur, sed . . . reprehensionem vel simile quiddam exprimit".

---

[1]) »Studia Terentiana« scripsit Aug. Godf. Engelbrecht. Vindobonæ MDCCCLXXXIII, I: pag. 28 sqq.

[2]) Verba posse, quire, nequire cum infinitivis passivi coniuncta a priscis scriptoribus et quibusdam eorum imitatoribus posteriorum ætatum passiva interdum usurpari satis omnibus notum. Terentius hanc sermonis consuetudinem semel sequitur: Hec. 572 *Forma in tenebris nosci non quita est.*

[3]) Pag. 242.

Eun. 777 *Peniculon pugnare, qui istum huc portes,* cogitas? 897 sq. *Hunc tu in ædis cogitas recipere posthac?* Heaut. 607 *Quid nunc facere cogitas?*

Phorm. 676 *Illi mihi dotem iam* constituerunt *dare.*

Andr. 688 *Uidere ait te* cupere. Eun. 145 *Multæ sunt causæ quam ob rem cupiam abducere.* 149, 157, 172, 561, 620 sq.; Heaut. 449, 496, 497, 971; Phorm. 117 sq., 166, 1021; Ad. 521 sq.

Heaut. 487 *Dare* denegaris.

Andr. 596 *Gnatum mihi corrigere porro* enitere.

Phorm. 538 *Beneficium rursum ei* experiemur *reddere.*

Heaut. 890 *Hoc prius scire* expeto.

Hec. 776 *Id quod aliæ meretrices facere* fugitant.

Ad. 254 *Beneficium accipere* gaudeas.

Heaut. 496 *Id ut* maturent *facere.*

Ad. 896 Meditor *esse affabilis.*

Eun. 340 *Aduocatus mane mihi esse ut* meminerit.

Imperativo noli respondent mitte, omitte: Andr. 873 *Mitte male loqui.* 904 *Mitte orare.* Eun. 989 *Omitte de te dicere.* — Indicativi formam habet Phorm. 861 *Omitto proloqui.*

Andr. 841 *Tibi sum* oblitus *hodie, ac uolui, dicere.*

Eun. 216 sq. *Censen (me) posse* me offirmare *perpeti, ne redeam interea?*

Hec. 651 *Hunc uidere sæpe* optabamus *diem.* — Andr. 20 *Aemulari* exoptat.

Hec. 282 *Hancine ego uitam* parsi *perdere!*

Phorm. 3 *Deterrere . . .* parat. [Ut cum coniunct. ab hac voce pendet: Heaut. 948 *Ac iam uxorem ut accersat paret.* Phorm. 957 *Animo uirili præsentique ut sis para.*] — Semel infinitivus est verbis paratus es annexus: Phorm. 427 *Itane es paratus facere me aduorsum omnia?* — Eun. 47 sq. *An potius ita* me comparem, *non perpeti meretricum contumelias?*

Andr. 644 *Etiam nunc me ducere istis dictis* postulas (idem fere valet atque vis, ut sæpe apud comicos; cfr Græcorum ἀξιοῦν)? 657 *Nec postulabat nunc quisquam uxorem dare.* Eun. 61 sq. *Incerta hæc si tu postules ratione certa facere, nihilo plus agas.* Ad. 238 *Per oppressionem ut hanc mihi eripere postulet?*

Andr. 759 Propera *adeo puerum tollere hinc ab ianua.* Phorm. 436 sq. *Properas mulierem abducere.* 845 *Hominem propero inuenire.*

Andr. 822 Studeo *obsequi tibi.* 881 *Hanc habere studeat.* Eun. 28 *Non quo furtum facere studuerit.* 745 sq. *Tibi uxorem studeo reddere ac restituere.* 950 *Studes dare uerba nobis.* Heaut. 52 *Uobis placere studeant.* 302 sq. *Caue ne falsam gratiam studeas inire.* Phorm. 18 *Ille ad famem hunc a studio studuit reicere.* Ad. 73 *Studet par referre.* 745 *Neque illam sane studeo uendere.* 900 *Student facere.* [Ad 868 sq. *Dum studeo illis* ut *quam plurimum facerem.*]

Andr. 633 Timent *denegare.* [1])

Andr. 323 Uereor *dicere.* 488 *Huic est ueritus optumæ adulescenti facere iniuriam.* 936 *Illam relinquere hic est ueritus.* Phorm. 61 *Uerere* (= -ris) *uerba ei credere?* Ad. 269 *Uereor coram in os te laudare.*

---

[1]) Vide Spengelium ad hunc locum (Die Komödien des P. Terentius erklärt von A. Spengel: Andria, Berlin 1888).

Andr. 140 *Quæ sese in ignem inicere* uoluit, *prohibui.* Eun. 141 *Uelle se illam mihi dare.* Cetera exempla omitto. — Andr. 332 *Nuptias effugere ego istas* malo. Hec. 110 sq. *Quasi tu non multo malis narrare hoc mihi quam ego quæ percontor scire.* Ad. 222 *Quidquid possem mallem auferre.* — Andr. 155 *Propter amorem uxorem* nolet *ducere.* Phorm. 335 sq. *Alere nolunt hominem edacem et sapiunt mea sententia, pro maleficio si beneficium summum nolunt reddere.* Hec. 6 sq. *Noluit iterum referre.* 183 *Uidere nolle.* 712 *Id ego hoc præsente tibi nolueram dicere.* Ad. 140 *Nolo in illum grauius dicere.* 142 sq. *Ostendere me ægre pati illi nolui.* 192 *Ego tibi illam nolo uendere.* Sexies infinitivus est e noli aptus, semel e nolite: Andr. 385 *Suadere noli.* 685 *Modo tu, anime mi, noli te macerare.* Phorm. 556 *Noli metuere.* Hec. 316 *Noli fabularier.* 467 *Noli fodere.* 654 *Noli aduersari.* 46 sq. *Nolite sinere per uos artem musicam recidere ad paucos.*

Propter significationis similitudinem huc simul referendæ sunt locutiones, quales sunt animum induco, in animo (-um) instituo, operam do cet..

Andr. 834 *Per ego te deos oro, ut ne illis* animum inducas [1] *credere.* Eun. 490 *Qui huic animum adsentari induxeris.* Hec. 98 sqq. *Quod ego numquam credidi fore, ut ille hac uiua posset animum inducere uxorem habere.* 603 *Non tute* [2] *incommodam rem, ut quæque est* in animum induces *pati?*

Ad. 38 sq. *Uah quemquamne hominem* in animo [3] instituere *parare quod sit carius quam ipse est sibi!*

Hec. 553 Dare operam *id scire.* [Andr. 243 *Itane obstinate operam dat,* ut *me a Glycerio miserum abstrahat?* Eun. 62 sq. *Nihilo plus agas, quam si des operam ut cum ratione insanias.*]

Phorm. 157 *Utinam ne Phormioni id suadere* in mentem incidisset!

*Annot.* Pro solo inf. his locis Terentius acc. cum inf. utitur ad verba quæ sunt cupio, opto, postulo, studeo, volo, malo revocato, a quo scribendi genere etiam optimi solutæ orationis scriptores minime abhorrent. Adhibent sane illam ab usitato sermone declinationem, ut gravius cum infinitivus tum subiectum eius ostendantur; sæpissime tamen id fieri non solet, nisi inf. est aut esse aut passivi. Comici quidem, ut recte Schmalz [4] admonet, vulgarem sermonem hic imitati esse videntur, qui quasi dilucidiora futura studet cogitata supra necessitatem abundante oratione exprimere.

Heaut. 428 *Cuius maxime te fieri participem* cupis.

Andr. 797 *Quæ sese inhoneste* optauit *parere hic diuitias.*

Heaut. 671 *Posse* postulem *me fallere.* Ad. 879 *Ego quoque a meis me amari et magni fieri postulo.*

---

[1]) Plaut. Amph. 915 omisso animum hæc sunt: *Quo pacto id ferre induceres.*

[2]) Brix, quem secutus est Umpf., tu te separavit (v. Brixium ad Trin. 237). Illum si sequimur, hic locus est ad annot. proxime sequentem referendus. Ut maior vis pronominibus pers. addatur, suffixum iis, ut scimus, interdum additur te, de qua re commemorare volo Ad. 290 *Iam nunc times, quasi numquam adfueris, numquam tute pepereris?*

[3]) Ita Dziatzko, qui hanc esse monstrat lectionem codicum optimorum. Demonstrat idem v. 316 »Capite pronum in terra statuerem«, ubi in omnibus codicibus, cod. A excepto, exstat in terram. Umpf. quidem in animo retinet, reiicit in terra. Spengel in animum statuit, id quod tamen se dubitantem fecisse concedit, minoris momenti admonens esse codices, qui ita scribere iubent; quod ad v. 316 attinet, in terram mavult. Fleckeisen utroque loco in eum acc. servat. Cfr hæc Plauti: Most. I,2,2 Argumenta in pectus multa instituere. Aut cum Dziatzk. et Speng. omisi.

[4]) § 227.

Eun. 1 sq. *Qui placere se* studeat *bonis quam plurimis et minime multos lædere.* Phorm. 767 *Dici nos bonos studemus et benignos.*

Eun. 248 *Est genus hominum, qui esse primos se omnium rerum* uolunt. Ad. 504 *Uos uoltis perhiberi probos.*

Eun. 66 *Mori me* malim.

γ) Verba incipiendi, pergendi, desinendi simil.

Eun. 116 Coepit *studiose omnia docere.* 261 *Homo coepit me obsecrare.* 424 sq. *Coepit ad id adludere et me inridere.* 568 *Amare coepi.* 586 *Egomet quoque id spectare coepi.* 629 sqq. *Coepi egomet mecum inter uias . . . aliam rem ex alia cogitare.* 973 *Satias coepit fieri.* Heaut. 97 *Amare coepit.* 99 sqq. *Coepi non humanitus neque ut animum decuit ægrotum adulescentuli tractare.* 128 *Hæc coepi cogitare.* 447 *Coepit uictum uolgo quærere.* 885 *Gaudere adeo coepit.* Phorm. 75 *Coepi aduersari.* 78 *Coepi eis omnia facere, obsequi quæ uellent.* 82 *Hanc amare coepit.* 111 *Amare coepit.* 868 *Ita animum coepi attendere.* Hec. 18 *Easdem agere coepi.* 33 *Eam agere coepi.* 37 *Uetere in noua coepi uti consuetudine.* 179 *Odisse coepit Sostratam.* 268 *Ui coepi cogere ut rediret.* 827 *Coepi instare ut dicat.* Ad. 407 *Coepit clamare.* Nullo igitur loco dicendi genus est huic Plautino cognatum: Men. 718 "Iure coepta appellarist canes".

Phorm. 589 *Neque* defetiscar *usque adeo experirier.* Ad perf. tempus se adiungit ablativus ger., non infinitivus,[1]) sive est causam significandi sive instrumentum: Eun. 1008 *Defessa iam sum misera te ridendo.* Ad. 213 *Ego uapulando, ille uerberando usque ambo defessi sumus.*

Andr. 22 sq. Desinant *male dicere.* Eun. 16 *Desinat lacessere.* Hec. 810 *Percontari desinas.* [Plaut. Most. IV,2,10 Desitum est esse et bibi.]

Andr. 660 sq. *Numquam* destitit *instare.* Heaut. 879 *Desiste inquam deos, uxor, gratulando optundere.* Hec. 104 sq. *Hoc percontarier desiste.* — Hec. 381 *Hanc habere orationem mecum principio* instituit. Phorm. 192 *Qua quærere insistam uiam* (insistam uiam in unam notionem coaluerunt, e qua infinitivus pendet)? — Eun. 19 *Ita ut facere* instituit.

Hec. 361 sq. *Nequeo mearum rerum initium ullum inuenire idoneum, unde* exordiar *narrare.*

Andr. 493 *Tam aperte fallere* incipias *dolis?* 821 *Satis pericli incepi adire.* Heaut. 495 *Sensisti illos me incipere fallere.* — Andr. 504 *Narrare* occepi. Eun. 125 *Me amare occeperat.* 636 *Occepi mecum cogitare.* Heaut. 319 *Narrare occipit.* Phorm. 862 *In gynæceum ire occipio.* Hec. 116 *Orare occipit.* Ad. 197 *Insanire occipiunt ex iniuria.* 327 *Amare occepit aliam.* 633 *Pultare hasce occipio.* Ad similitudinem eorum, quæ in verbo coepisse cum inf. passivi passiva significatione prædito connectendo iam a priscis scriptoribus prolata inveniuntur, hæc formata est enuntiatio: Eun. 22 *Occeptast agi.*

Andr. 522 Perge *facere.* 920 *Si mihi perget quæ uolt dicere.* Eun. 18, 817; Heaut. 237, 930, 1006; Phorm. 194, 372, 641, 847, 867, 937, 996; Ad. 181.

Andr. 827 *Si cogites,* remittas *iam me onerare iniuriis.*

δ) Verba quæ solere aliquem vel insuevisse aliquid facere significant.

Ad. 55 *Qui mentiri aut fallere* insuerit *patrem.*

---

[1]) Plautus alias inf. alias abl. ger. adhibet.

Andr. 426 *Quod dici* solet. Heaut. 363 *Quæ solet quos spernere.* 371 *Noui quam esse soleas impotens.* 520 *Quod dici solet.* 548 *Quo pacto id fieri soleat, calleo.* 991 sqq. *Matres omnes filiis in peccato adiutrices . . . solent esse.* Phorm. 89 sq. *Hic solebamus fere plerumque eam opperiri.* Hec. 215 *Ruri esse crebro soleo.* — Andr. 481 sq. *Quæ* adsolent *quæque oportet signa esse ad salutem.*

ι) **Debeo** et verborum coniunctiones quibus est cum **non debeo** quædam similitudo.

Andr. 675 sqq. *Hoc tibi pro seruitio* debeo, *conari . . . adire* (v. pag. 13).

Ad. 51 sqq. Non necesse habeo *omnia pro meo iure agere.*

Hec. 327 Non usus facto est mihi *nunc hunc intro sequi;* ibi "facto" abundat. Voce illa omissa legitur Heaut. 81 *An quoiquamst usus homini, se* ut *cruciet?*

b) Ab aureæ, quam vocant, ætatis scriptoribus et posterioribus infinitivus, ut scimus, multis subiungebatur verbis passivis (**"Nominativus cum infinitivo"**), quod scribendi genus rarum erat temporibus Terentii.

α) Verba copulativa.

Aliquot esse verba constat quæ adiectiva vel substantiva persæpe cum subiecto suo ita copulant, ut prædicativum locum capiant. Tum illa verba, ut Germani dicunt, "nur nähere Bestimmungen des Seins ausdrücken", nec tamen solum idem ac verbum substantivum esse valent sed suum quidque atque proprium ad hoc, ut ita dicam, affert colorem. Grammatici ea omnia solent uno nomine copulativa appellare. Forma quidem passiva sunt paucis activis intransitivæ notionis exceptis.

Ut igitur hoc munere persæpe funguntur, ita post plurima eorum — utique post ea quæ passiva verba sentiendi et declarandi sunt — ad subiectum relatus ponitur infinitivus. Sed apud Ter., ut ante dixi, paucissima sunt eius generis exempla. Ceterum optimi scriptores huius verborum coniunctionis usum, ut ex more eum semper quam primum dirimendi neque progrediente coniunctione sententiarum conservandi apparet, molestum putarunt et propere præcidendum.

Andr. 809 *Semper enim* dictast *esse hæc atque* habitast *soror.* Heaut. 106 *Ego te meum esse dici tantisper uolo.* 270 *Quæ est dicta mater esse ei antehac, non fuit.* [Impersonaliter[1]) verbum dicendi usurpatum est Andr. 796 *In hac habitasse platea dictumst Chrysidem.*]

Andr. 499 *Quid credas? quasi non tibi* renuntiata sint *hæc sic fore.*

Andr. 121 sq. *Quæ tum mihi lamentari præter ceteras* uisast. 255 *Id mihi uisust dicere.* 366, 377, 447, 492 sq., 494, 647, 757, 856; Eun. 454, 728, 785, 857, 900, 1018; Heaut. 59 sq., 490, 759, 801 sq.; Phorm. 455 sq., 1033; Hec. 517, 646, 707; Ad. 337, 384, 660 *Nonne hæc iusta tibi uidetur poscere,* [2]) 850.

---

[1]) »Der Acc. c. inf. nach dem unpersönlich gebrauchten Passiv eines V. sentiendi oder declarandi ... ist im Altlat. sehr selten» (Schmalz: § 234, anm.).

[2]) Ita Umpf. et Dziatzko, qui auctorem sequentes Bothium codicum lectionem, quæ est postea, illo poscere mutarunt. Melior licet hoc modo mutata fortasse fiat sententia, tamen non necesse est postea reiiciamus. — Ad verbum proxime antecedens quod attinet, omnes præter unum Bembinum (n literam addidit corr. rec.) codices pluralem numerum præbent, quo numero servato multo minus dubitare opus est vocem postea retinere. Spengel et Fleckeisen videntur postea malunt.

β) Passiva verba iubendi et vetandi
(de activa forma vide infra).

Phorm. 416 *Proximo* iussast *dari.*
Phorm. 864 *Ait (se) esse* uetitum *intro ad eram accedere.*

2) **Verba causativa, activa forma,** *quæ subiectum suum significant suadens vel dissuadens aliquem adducere, ut aliquid facere instituat vel prætermittat.*

Infinitivus igitur hoc in usu id significat, quod subiectum illud fieri vult vel averti, atque ita ad verbi causativi [1]) obiectum [2]) refertur, ut id etiam sit subiectum infinitivi, quare talis est ratio prædicativi, qualem eam esse ante (pag. 5) demonstravimus.

Neque tamen omnibus locis hæc verba secum infinitivum copulant, de qua una re annotationem infra adiuncturi sumus.

Phorm. 237 sq. *Uerum scientem, tacitum causam tradere aduersariis, etiamne id lex* coëgit (v. pag. 13). Hec. 243 sq. *Scio . . . meum ius esse, ut te cogam quæ ego imperem facere.* Ad. 652 *Huic leges cogunt nubere hanc.*

Andr. 810 sqq. *Nunc me hospitem lites sequi . . . aliorum exempla* commonent.

Hec. 842 *Ne me in breue* conlicias *tempus gaudio hoc falso frui.*

Ad. 74 sq. Consuefacere *filium sua sponte recte facere.*

Andr. 842 *Animo nunciam otioso esse* impero. Eun. 252 sq. *Imperaui egomet mihi omnia adsentari.*

Andr. 412 sq. *Erus me relictis rebus* iussit *Pamphilum hodie obseruare.* 590 *Hinc te intro ire iussi.* 687 *Orare iussit.* Eun. 262 *Sectari iussi.* 469 sq. *Heus iubete istos foras exire, quos iussi, ocius.* Heaut. 585 sq. *Iube hunc abire hinc aliquo.* Phorm. 126 *Illos ducere eadem hæc lex iubet.* 409 sq. *Lex iubet dotis dare.* 414 *Mercedem dare lex iubet ei atque amittere?* 544 *Me huius causa quærere in malo iubeas crucem?* 598 sq. *Hominem ad forum iussi opperiri.* 639 *Quis te istæc iussit loqui?* Hec. 301 *Matris ferre iniurias me, Parmeno, pietas iubet.* 494 *Iube illam redire.* 733 *Te huc foras puerum euocare iussi.* 847 *Hoc te mihi nuntiare iussit.* Ad. 415 sq. *Inspicere tanquam in speculum in uitas omnium iubeo atque ex aliis sumere exemplum sibi.* 428 sq. *Tanquam in speculum in patinas, Demea, inspicere iubeo.* 925 sqq. *Iubeo . . . unam facere nos hanc familiam, colere adiuuare adiungere.*

Andr. 262 sq. *Me tam leni* passus est *animo usque adhuc quæ meo cumque animo libitumst facere.* 943 sq. *Egon huius memoriam patiar meæ uoluptati obstare?* Heaut. 443 sq. *Primum olim potius quam paterere filium commetare ad mulierculam.* 486 *Tu rem perire et ipsum non poteris pati.*

Heaut. 573 *Ea facere* prohibet *tua præsentia.* Hec. 266 *Quæ res te facere id prohibet?*

Andr. 153 Sine *nunc meo me uiuere interea modo.* 624 *Haud te ulcisci sinit.* Eun. 124 *Sine me peruenire quo uolo.* 151 sq. *Sine illum priores partes hosce aliquod dies aput me habere.* Heaut. 947 *Sine me in hac re gerere mihi morem.* Phorm. 292 *Seruom homi-*

---

[1]) Schmalz enumerationi suæ verborum causativorum hanc monitionem addit (§ 221 extr.): »Man beachte übrigens, dass viele unter den genannten Verben eine auf ein Ziel gerichtete Thätigkeit . . . bezeichnen und schon deshalb leicht einen Inf. annehmen konnten«.

[2]) Sæpissime in acc. casu obiectum positum est, interdum in dat.; si omissum est, facile potest mente addi.

*nem causam orare leges non sinunt.* Hec. 46 sq. *Nolite sinere per uos artem musicam recidere ad paucos.* 52 *Sinite impetrare me.* 600 *Sine me obsecro hoc effugere.* 852 sq. *Egon qui ab orco mortuom me reducem in lucem feceris sinam sine munere a me abire?* Ad. 104 *Non siit egestas facere nos.* 107 sq. *Et tu illum tuom, si esses homo, sineres nunc facere.* 377 *Gongrum istum maximum in aqua sinito ludere.* 395 sq. *Sineres uero illum tu tuom facere hæc?*

***Annot.*** Nonnullis locis sequitur ut (ne) cum coniunctivo. Apud imperativos iube, sine solus coniunctivus sæpe exstat ut particula omissa.

Andr. 654 *Suscenset nec te quiuit hodie* cogere *illam ut duceres.* Hec. 268 *Ui coepi cogere ut rediret.* 571 *Puerum ut tollam cogit.* 674 *Cogis ea quæ nolo ut præsente hoc loquar.* 787 *Coge ut credant.* Ad. 851 *Cogam ut cum illa una cubet.*

Ad. 54 *Ea ne me celet* consuefeci *filium.*

Eun. 578 *Mihi ne abscedam* imperat.

Eun. 808 sq. *Tun me* prohibeas, *meam ne tangam?*

Hec. 590 sq. *Haud facies neque* sinam *ut qui nobis, mater, male dictum uelit, mea pertinacia esse dicat factum.* Andr. 188 *Siui animum ut expleret suom.* —

Eun. 691 sq. Iube *mihi denuo respondeat.* Heaut. 737 *Iube maneat.* Ad. 914 sq. *Iube nunciam dinumeret ille Babylo uiginti minas.*

Andr. 622 Sine *paululum ad me redeam.* 900 *Sine me expurgem atque illum huc coram adducam.* 901 *Sine te hoc exorem.* Eun. 185 *Hoc modo sine te exorem.* 283 *Sine biduom hoc prætereat.* 739 *Sine ueniat.* Heaut. 1050 *Sine te exorent.* Hec. 10 *Sinite exorator sim.* 744 *Sine dicam.*

Duobus locis verbum sinendi legitur solo coniunctivo præcedente: Andr. 895 *Dicat sino.* Phorm. 515 *Exoret sine.*

# C. Infinitivus finalis.

Sub hoc nomine eum infinitivum tractabo, qui verbis motum significantibus subiectus quo consilio res fiat vel finem propositum indicet. Ipsa licet infinitivi natura [1]) principalis ad hunc usum instituendum aliquantum valuerit, tamen negari non potest Græcam linguam hic quoque ut alias sæpe exemplo fuisse.

Sed ad hanc notionem indicandam Ter. etiam alias locutiones adhibet, quæ scribendi genera longe usitatissima sunt apud bonos scriptores orationis solutæ. Vulgo enim pro inf. utuntur: a) ut sequente coniunctivo, b) sup. in -um cadente, c) ad cum acc. ger.. Apud Ter. quidem infinitivus numquam nisi e verbis quæ sunt (intro)*ire*, *mittere* aptus exstat.

Phorm. 102 *Uoltisne* eamus *uisere?* Hec. 188 sq. *Nostra ilico it uisere ad eam.* 345 *Tum filius tuos intro iit uidere* [Supinum: Eun. 892 *Nutricem arcessitum iit.* Heaut. 315, 655; Phorm. 462, 837 sq.; Hec. 76 sq.]

Eun 528 Misit *porro orare ut uenirem.* [Cfr Eun. 441 sq. *Phædriam intro mittamus commissatum.* Hec. 342 *Ne mittas quidem uisendi* causa.]

---

[1]) Vide Schmalz.: § 218.

Simili fere ratione infinitivus (pro gerundivo) semel additus est verbo *dandi:* Andr. 484 *Quod iussi ei dari bibere.* [Gerundivum: Eun. 903 sq.; Heaut. 629 sq., 650, 655; Phorm. 466; Ad. 114, 463, 585.]

## D. Infinitivus epexegeticus vel loco appositionis, quam vocant, positus.

Hic infinitivus, qui utique apud comicos reperitur, ad præcedentem aliquam vocem planius explicandam usurpatur. Quo modo planius explicantur: a) substantiva, præsertim quæ coniuncta sint cum pronominibus demonstrativis, b) pronomina demonstrativa neutrius generis, c) particulæ ita, sic.

Andr. 675 sqq. *Hoc tibi pro seruitio debeo, conari manibus pedibus, noctesque et dies, capitis periclum adire, dum prosim tibi.* Eun. 857 sq. *An paulum hoc esse tibi uidetur, uirginem uitiare ciuem?* Heaut. 49 sq. (= Hec. 50 sq.) *Eum esse quæstum in animum induxi maxumum quam maxume seruire uostris commodis.* 566 sq. *Istæc quidem contumelia est, hominem amicum recipere ad te atque eius amicam subigitare.* Phorm. 174 sq. *Est potestas etiam consulendi, quid uelis: retinere an uero amittere.* 613 sq. *Facinus indignum, Chremes, sic circumiri!* 652 sq. *Mihi uenibat in mentem eius incommodum, in seruitutem pauperem ad ditem dari.* 768 sq. *Nonne id sat erat, accipere ab illo iniuriam?* Ad. 74 sq. *Hoc patrium est, potius consuefacere filium sua sponte recte facere quam alieno metu.* 195 *Nunc uide utrum uis: argentum accipere an causam meditari tuam.* 386 sqq. *Istuc est sapere, non quod ante pedes modost uidere, sed etiam illa quæ futura sunt prospicere.* 964 sqq. *Et quidem porro hæc, obsonare cum fide, scortum adducere, apparare de die conuiuium, non mediocris hominis hæc sunt officia.* Eun. 47 sq. *An potius ita me comparem, non perpeti meretricum contumelias?*

Phorm. 237 sq. infinitivus pron. id, quo enuntiatio infinitiva in unum cogitur, antecedit: *Uerum scientem, tacitum causam tradere aduersariis, etiamne id lex coëgit?*

---

4

# II.

# Accusativus cum infinitivo.

Ad plurima verba causativa, ut ex exemplis paulo ante allatis apparet, et accusativus et infinitivus simul se applicare possunt. Hanc constructionem ab ea, quæ nomine accusativi cum inf. notari solet, genere ipso differre et ex illis, quæ de natura eius sunt breviter commemorata, ex parte elucet et rem diligentius perscrutantibus facile est intelligere. Ceterum Kuehner [1] — ne de aliis grammaticis dicam — quo modo inter se differant accurate exposuit.

Acc. cum inf., ut docet Schmalz — qui idem de origine huius conformationis atque usu increscente expositionem dilucidam edidit [2] — iam ab antiquissimis scriptoribus sæpissime usurpatur idque non solum ab iis, qui Græcos studiose imitantur, sed etiam a Catone. Apud Ter. quidem haud rarius.

Inf. esse persæpe, si copulæ locum obtinet, in constructionibus nom. cum inf. et acc. cum inf. omittitur, quod quibus fiat condicionibus Dziatzko ad Ad. 13 docet et ostenditur in libris grammaticorum. Quæ prætermissio, quantum equidem scio, sæpius apud Ter. invenitur quam apud quemquam ceterorum scriptorum. Præterea etiam acc., ut infra videbimus, nonnumquam omittitur.

"Ubicumque in hac constructione infinitivus verbi impersonalis positus est sine accusativo, est hoc pro acc. cum inf. accipiendum, quoniam impersonalia verba ea sunt, quæ subiectum suum in se includunt et continent." [3]

## A. Acc. cum inf. subiecti locum obtinens

iungitur

### 1) **cum locutionibus impersonalibus**

#### a) ***esse cum adiectivis:***

Eun. 42 *Qua re* æquom *est uos cognoscere atque ignoscere.* 386 *Hoc patri æquomst fieri.* 477 sq. *Quæ liberum scire æquom est adulescentem.* Heaut. 203, 214 sq. (v. Appendix: 4), 419; Phorm. 114 *Neque eum æquom (esse) ait facere*, 203, 450 sq. *Quod te absente hic*

[1] § 126: 2.

[2] § 224 sqq.

[3] Holtze: pag. 33.

*filius egit, restitui in integrum æquom est et* bonum, 673, 927; Hec. 527, 737, 868; Ad. 255, 505, 674 sq., 800 sq., 933, 960.

Eun. 704 *Iam satis* certum*st uirginem uitiatam esse?* Hec. 454 *Certum offirmare est uiam me quam decreui persequi.* 583 sq. *Nunc tibi me certum est contra gratiam referre.*

Phorm. 814 sq. Commodius *esse in omnis arbitror, quam ut coeperas, manere hanc.*

Heaut. 107 sq. *Si id non facis, ego quod me in te sit facere* dignum *inuenero.*

Hec. 326 *Perisse me una* haud dubium *est.* — Ratio verba inter se connectendi a Ter. hoc uno loco adhibita, cuius quænam causa fuerit ordinem verborum observantem licet coniectura invenire. Ceteris enim locis[1] — haud (non) dubium est ibi sententiam subiunctam antecedit — quin particula sequente coniunctivo legitur neque usquam, quantum equidem scio, aut æquales Terentio scriptores aut priores accusativo cum inf. ex huiusmodi locutione pendente usos esse invenias. Possumus ergo non sine causa suspicari Terentium perisse me scribentem non satis quæ sequerentur verba statuisse, sed id solum fuisse constitutum, ut enuntiatio confirmationem vel tale quid significans accederet. Sed credere promptum est hunc accusativi cum inf. usum in sermonem si non eruditum, at vulgarem tamen iam receptum fuisse. Superiorne sit ordine sententia primaria an posterior negligentes acc. cum inf. uti, ut aiunt viri doctissimi, primi instituerunt scriptores posteriores.

Andr. 566 *Istuc periclum in filia fieri* graue*st.*

Hec. 149 sqq. *Eam ludibrio haberi . . . neque* honestum *mihi neque* utile *ipsi uirgini est.*

Hec. 552 sq. *Ea dissimulare nos magis* humanum *est.*

Andr. 977 Longum*st illum me exspectare dum exeat.*

Heaut. 387 *Uos esse istius modi et nos non esse haut* mirabile*st.*

Andr. 372 *Quasi* necessus *sit, si huic non dat, te illam uxorem ducere.* Eun. 1075 *Necesse est multum accipere Thaidem.* Hec. 304 *Magnum nescio quid necesse est euenisse.*

Hec. 561 *Aderam, cuius consilio ea* par *fuerat prospici.* 739 *Facis facturaue es, bonas quod par est facere.* 867 sq. *Quos fuerat par resciscere, sciunt.*

Phorm. 961 *Id nosmet indicare* placabilius *est.* Ad. 608 *Te ipsum purgare ipsi coram placabilius est.*

Hec. 284 sq. *Quanto fuerat* præstabilius *ubiuis gentium agere ætatem quam huc redire atque hæc ita esse miserum me resciscere!*

Ad. 920 sq. *Multo* rectius*t quam illam puerperam huc nunc duci.*

Heaut. 353 Ridiculum *est te istuc me admonere.*

Phorm. 724 *Non* satis *est tuom te officium fecisse.* — Eun. 772 *Mori me* satius *est.* Heaut. 969 *Satius est quam te ipso herede hæc possidere Bacchidem.* Hec. 730 *Nequid faciam plus, quod post me minus fecisse satius sit.* Andr. 307 *Satiust te id dare operam.* Ad. 29 *Euenire ea satius est.*

Hec. 154 sq. *Reddi patri autem (eam), cui tu nihil dicas uiti,* superbum *est.*

Phorm. 913 *Eam nunc extrudi* turpe*st.*

---

[1]) Exempla sunt hæc: Andr. 172 *Non dubiumst, quin uxorem nolit filius.* 391 sq. *Nam hoc haud dubiumst, quin Chremes tibi non det gnatam.* 530 *Haud dubiumst mihi . . . quin . . . possim cogere.* Eun. 997 *Non dubiumst quin . . . sit malum.* Ad. 976 *Haud dubiumst quin emitti æquom siet..* — Andr. 405 (non dubitat, quin . . .), Eun. 1043 (tu dubitas, quin . . .?).

Phorm. 610 *Uenire (te) saluom* uolup *est.* [1])

Heaut. 199 *In metu esse hunc illi est* utile. Ad. 341 *Non est utile hanc illi dari.* Hec. 149 sqq.

***Annot. 1.*** *Fortasse* semel cum acc. cum inf. coniungitur vi locutionis credibile est indutum.

Hec. 313 *Fortasse unum aliquod uerbum inter eas iram hanc conciuisse.*

Hec. 577 "clam me est" legitur: *Clam me est, gnate mi, tibi me esse suspectam.*

***Annot. 2.*** Non ita raro, ut scimus, boni scriptores huiusmodi locutionibus ut particulam cum coni. annectunt, id quod alias alia a ratione est profectum: velut tum cogitatione addere potes facere, efficere simil., tum perpetuitas sermonis verbum voluntatis præbet supplendum, tum aliter res potest intelligi. Quod idem interdum fit etiam apud Ter.

Andr. 625 sq. *Hocinest* credibile *aut* memorabile, *tanta uecordia innata cuiquam ut siet.*

Eun. 969 Necesse *est, huic ut subueniam.*

Heaut. 79 Rectum*st, ego ut faciam, non est, te ut deterream.*

b) ***esse cum substantivis,*** quæ posita sunt in casu

α) nominativo:

Heaut. 300 sq. Disciplina (= mos) *est eisdem munerarier ancillas primum.*

Heaut. 149 *Nec* fas *esse ulla me uoluptate hic frui.*

Heaut. 922 *Nonne id* flagitium*st, te aliis consilium dare, foris sapere, tibi non potis esse auxiliarier?* (v. pag. 29) Ad. 112 *Non est flagitium facere hæc adulescentulum?* 101 sq. *Non est flagitium, mihi crede, adulescentulum scortari neque potare.*

Eun. 1071 *Uos non facere* inscitia*st.*

Ad. 686 *Quam te non* ius *fuerat tangere.* [Phorm. 176 *Neque mihi ius sit amitt*endi *nec retin*endi *copia.*]

Ad. 532 *Uellem etiam noctu amicis operam* mos *esset dari.*

Phorm. 560 Opus *est mihi Phormionem ad hanc rem adiutorem dari.* Hec. 409 sq. *Hunc minimest opus in hac re adesse.* Ad. 625 *Quod minumest opus usquam efferri.* [Ad. 740 *Quod maxume opus est iactu.* — 996 *Plus scis quid opus factost.* [2]) Et passim alibi.] — Andr. 265 *Nunc* peropus *est aut hunc cum ipsa aut de illa me aduersum hunc loqui.*

Heaut. 973 sqq. *Quæ istast* prauitas *quæue* amentia *est, quod peccaui ego, id obesse huic?* (v. pag. 29).

Andr. 631 *Post ubi* tempu*st promissa iam perfici.* Heaut. 169 *Tempust monere me hunc uicinum Phaniam.* [Hec. 746 *Dum tibi tempus consul*endi *est.*]

Ad. 803 sq. Uetus uerbum (= proverbium) *hoc quidemst, communia esse amicorum inter se omnia.*

---

[1]) Formula adventum gratulandi, quacum conferre potes: Eun. 976 *Saluom te aduenire gaudeo.* Heaut. 407 *Saluom (te) uenisse gaudeo.* Phorm. 255 *Saluom uenire (te gaudeo).* 286 *Saluom te aduenisse gaudeo.* Hec. 353 *Gaudeo (te) uenisse saluom.* Ad. 80 sq. *Saluom te aduenire gaudemus.* — Hec. 456 *Bene factum te aduenisse.*

[2]) Cfr Dziatzk. ad Phorm. 584.

***Annot.*** His quoque locutionibus aliquando talis vis subiicitur, ut enuntiatio secundaria coniunctione illa ut inducta sequatur.

Hec. 243 *Scio . . . meum* ius *esse ut te cogam* („skulle kunna tvinga“).

Phorm. 204 AN. *Non sum aput me.* GE. *Atqui* opus *est nunc cum maxime ut sis.*

β) genitivo:

Andr. 186 sq. *Sed nunc ea me exquirere iniqui patris est.*

c) ***esse cum infinitivo:***

Heaut. 324 *Id saperest, uelle te id quod non potest contingere* (v. pag. 29).

**2) cum verbis impersonalibus**

Eun. 486 Apparet *seruom hunc esse.*

Eun. 494 sq. *Haud* conuenit *una ire cum amica imperatorem.* Heaut. 165 sq. *Non conuenit . . . me ipsum fugere.*

Andr. 15 sq. *Disputant contaminari non* decere *fabulas.*

Eun. 832 sq. Dispudet *sic mihi data esse uerba.*

De *dolet* Ad. 272 sq. et 682 v. pag. 29.

Heaut. 514 *Num me* fefellit *hosce id struere?*

Andr. 958 *Mihi nunc sic esse hoc uerum* lubet.

Heaut. 666 *Non* licet *hominem esse sæpe ita ut uolt.* 672 *Licet me latere tecto abscedere.*

Heaut. 260 sq. Miseret, *qui harum mores cantabat mihi, monuisse frustra neque eum potuisse umquam ab hac me aspellere.*

Andr. 238 sq. *Nonne* oportuit *præscisse me ante?* 544 *Quasi hoc te orando a me impetrare oporteat.* 786 *Hanc iam oportet in cruciatum hinc abripi.* Eun. 80 *Quod nos capere oportet, hæc intercepit.* 981 sq. *Oportuit rem prænarrasse me.* 1012 *Ilicone credere ea quæ dixi oportuit te?* Heaut. 247 *Non oportuit relictas.* 536 *Hæc facta ab illo oportebat.* 546 *Te adiutare oportet.* 635 *Interemptam oportuit.* Phorm. 70 *Regem me esse oportuit.* 222 *Id nosmet ipsos facere oportet.* 241 sq. *Omnis . . . meditari secum oportet.* 851 *Familiariorem oportet esse hunc.* Hec. 273 *Me transire ad forum iam oportet.* 448 sq. *Me parenti potius quam amori obsequi oportet.* 774 sq. *Pamphilo me facere ut redeat uxor oportet.* Ad. 4 sq. *Uos iudices, laudin an uitio duci it factum oporteat.* 214 *Adulescenti morem gestum oportuit.* 503 sq. *Uos æquo animo æqua noscere oportet.* 672 sq. *Sedere oportuit domi uirginem.*

Hec. 647 *Non tibi illud factum minus* placet *quam mihi, Laches.* 866 *Placet non fieri hoc itidem ut in comoediis.*

Heaut. 899 *Ut ne paululum quidem* subolat (sc. mihi vel cuiquam alii) *esse amicam hanc Cliniæ.*

***Annot. 1.*** Quibusdam ex verbis et locutionibus impersonalibus (*decet, oportet, æquom est, opus est* cet.) sæpe pro activi infinitivo subiecto diserte indicato carente passivi infinitivus adiungitur, aut solus inf. aut (obiecto infinitivi in subiectum converso) acc. cum inf.. Nostra autem lingua uti solet forma activa.

Aliquot huius consuetudinis exempla iam ante videre licuit, quibus nunc addere possumus.

Andr. 337 *Nisi ea quæ nihil opus sunt* (obs. plur.) *sciri.* Heaut. 562 *Itane fieri oportet?* Ad. 659 *Non oportere huic dari.* 955 *Fieri oportet.* 976 *Haud dubiumst quin emitti æquom siet.*

***Annot. 2.*** De Andr. 796 *(dictumst)* vide pag. 10.

# B. Acc. cum inf. obiecti locum obtinens

additur

### 1) verbis sentiendi, declarandi.

Andr. 397 *Si te æquo animo ferre* accipiet.

Eun. 114 sq. *Mercator hoc* addebat . . . *se audisse abreptam e Sunio* (v. pag. 29).

Ad. 183 *Libertatem* aiunt *esse æquam omnibus.* Et alias sæpe.

Phorm. 909 *Id tantopere uos uelle* animaduerteram.

Andr. 563 sq. *At ego non posse* arbitror *neque illum hanc perpetuo habere neque me perpeti.* Cet. ex. omitto.

Hec. 367 *Me* aspexere *ancilla aduenisse.* — Heaut. 68 sq. *Numquam . . . tam uesperi domum reuertor, quin te in fundo* conspicer *fodere aut arare aut aliquid ferre denique.* — Eun. 435 *Eam me amare* suspicatast. Heaut. 1014 *Subditum se suspicatur.* Hec. 365 sq. *Alio suspicans morbo me uisurum adfectam ac sensi esse uxorem.*

Andr. 173 sq. *Nuptias futuras esse* audiuit. 177 *Audierat non datum iri filio uxorem suo.* 341 *Audierit sibi paratas nuptias.* 474 sq. *Ante ostium me audiuit stare.* 534 sq. *Ex te auditum qui aibant, hodie filiam meam nubere tuo gnato.* 779 *Susurrari audio ciuem Atticam esse hanc.* 858 *Nihil equidem, nisi quod illum audiui dicere.* 927 *Ibi ego audiui ex illo sese esse Atticum.* Eun. 665 sq. *Ego amatores audieram mulierum esse eos maxumos, set nihil potesse.* Heaut. 559 *Numquam commodius umquam erum audiui loqui.* 685 *Cuiquam æque audisti commode quicquam euenisse?* Phorm. 39 sq. *Erilem filium eius duxisse audire uxorem.* 149 sq. *Epistulam ab eo adlatam esse audiui modo et ad portitores esse delatam.* 289 *Iam dudum te omnes nos accusare audio.* 329 *Enumquam iniuriarum audisti mihi scriptam dicam?* 575 sq. *Uenisse eas saluas audiui ex nauta.* 731 *Ita patrem adulescentis facta hæc tolerare audio uiolenter.* Hec. 219 *Audiui cepisse odium tui Philumenam.* 336 *Nescio quid iam dudum audio hic tumultuari misera.* 453 *Quem ego hic audiui loqui?* Ad. 210 sq. *Te audio nescio quid concertasse cum ero.* 355 *Ctesiphonem audiui filium una fuisse in raptione cum Aeschino.* 535 *Laudarier te audit libenter* (Suecice: "Att (= när) du blir prisad"). Nullo loco Ter. verbum audiendi coniunxit cum participio præs..

Heaut. 19 *Deinde (se) facturum (esse)* autumat.

Andr. 256 Censen *me uerbum potuisse ullum proloqui?* 794; Eun. 217, 720, 1072; Heaut. 214, 253, 462, 716; Phorm. 327, 457, 875; Hec. 547, 662, 675, 716; Ad. 579.

Ad. 91 sq. Clamant *omnes indignissume factum esse.* — Andr. 814 sqq. Clamitent *me sycophantam, hereditatem persequi mendicum.* — Eun. 23 sqq. Exclamat *furem, non poetam fabulam dedisse et nihil dedisse uerborum tamen; Colacem esse Næui et Plauti, ueterem fabulam, parasiti personam inde ablatam et militis.*

Heaut. 239 *Non* cogitas *hinc longule esse?* Phorm. 243 sqq. *Semper secum cogitet . . . communia esse hæc.* Ad. 32 sq. *Aut te amare cogitat aut tete amari aut potare atque animo obsequi.*

Andr. 90 sq. Comperiebam *nihil ad Pamphilum quicquam attinere.* 902 *Ne ab hoc me falli comperiar.* Hec. 763, 779. — Hec. 489 *Fuisse (eam) erga me miro ingenio* expertus *sum.* — Hec. 58 sq. *Paucos* reperias *meretricibus fidelis euenire amatores.* Ad. 860 sq.

Heaut. 159 sq. *Illum tibi saluom adfuturum esse hic* confido *propediem.* Ad. 826 sq. *Ut confidam fore ita ut uolumus.*

Heaut. 1017 *Metuis ne non, cum uelis,* conuincas *esse illum tuom?*

Andr. 161 sq. *Quem ego* credo *manibus pedibusque obnixe omnia facturum.* Et alias sæpe.

Heaut. 147 sqq. Decreui *tantisper me minus iniuriæ, Chremes, meo gnato facere, dum fiam miser, nec fas esse ulla me uoluptate hic frui* (decreui = iudicavi, existimavi). 940 *Duo talenta pro re nostra ego esse decreui satis.* Hec. 148 sq. *Quam decrerim* („öfvertygat mig om"; statuerim et defixerim, Donatus) *me non posse diutius habere.* 542 *Uerum id uitium numquam decreui esse ego adulescentiæ.*

Ad. 15 sq. *Isti* dicunt *maleuoli homines nobilis eum adiutare adsidueque una scribere.* Cet. ex. omitto. — Heaut. 22 sq. *Poeta* dictitat *repente ad studium hunc se applicasse musicum.* Phorm. 742 sq. *Non obsecro es, quem semper te esse dictitasti?* — Eun. 962 *Dico,* edico *uobis nostrum esse illum erilem filium.* — Andr. 840 *Id (eas) facturas* . . . prædixit *mihi* (v. pag. 26).

Heaut. 836 *Quas pro alimentis esse nunc* duco *datas.* Hec. 343 *Eum bis facere stulte duco.*

Eun. 4 sq. *Dictum in se inclementius* existimauit *esse.* 758; Heaut. 8 sq., 30; Phorm. 369; Hec. 604; Ad. 12 sqq., 17.

Heaut. 31 sq. *Qui nuper* fecit *seruo currenti in uia decesse populum.*

Andr. 896 *Ego me amare hanc* fateor. Eun. 863 *Præsertim cum se seruom fateatur tuom.* Ad. 629 *Hæc adeo mea culpa fateor fieri.* Hec. 828. — Andr. 607 sq. *Hoc* confiteor *iure mihi optigisse.* Heaut. 338 *Quod ambo confiteamini sine periclo esse.*

Andr. 220 sq. Fingunt *quandam inter se nunc fallaciam, ciuem Atticam esse hanc* (v. pag. 29).

Eun. 53 sq. Indicans *te amare et ferre non posse.* Hec. 395 *Quod te scire ipsa indicat res.* Ad. 338 *Illum alieno animo a nobis esse res ipsa indicat.* — Phorm. 725 *Ne se eiectam* prædicet.

Andr. 147 *Ille* instat *factum.*

Andr. 4 *Uerum aliter euenire multo* intellegit. 500; Heaut. 412, 843 sq.; Phorm. 9 sq.; Hec. 260, 483, 794.

Eun. 525 *Hanc se* intendit *esse.*

Andr. 863 *Si quicquam* inuenies *me mentitum.* Hec. 300 *Quod cum ita esse inuenero.* 777 sqq. *Nostras mulieres suspectas fuisse falso nobis in re ipsa inuenimus.*

Eun. 29 *Id ita esse uos iam* iudicare *poteritis.* Ad. 891 sq. *Hominem maxumi preti te esse hodie iudicaui animo meo.* 960 *Iudico Syrum fieri esse æquom liberum.*

Ad. 332 *Sine hac* iurabat *se unum numquam uicturum diem.* 473 *Iurans se illam ducturum domum.* — Andr. 694 *Per omnis tibi* adiuro *deos numquam eam me deserturum.* Hec. 268 sq. *Adiurat non posse aput uos Pamphilo se apsente perdurare.*

Phorm. 74 Memini *relinqui me deo irato meo.* Heaut. 626 sq. *Meministin me esse grauidam et mihi te maxumo opere edicere, si puellam parerem, nolle tolli?* De Andr. 429 et Hec. 822 sq. v. pag. 25 et 26. Omnibus locis est inf. præs. — Hec. 332 sq. *Seruom ilico intro iuisse dicent Sostratæ, aliquid tulisse* comminiscentur *mali.* Ad. 657 *Commenta mater est esse ex alio uiro nescio quo puerum natum.*

Heaut. 489 *Abiturum se aps te esse ilico* minabitur.

Heaut. 1001 Miror *non ilico adripi (eum) iusse.*

Heaut. 192 CH. *Quid* narrat? CL. *Quid ille? Se miserum esse.* 711 sq.; Phorm. 366; Hec. 145 sqq.

Andr. 146 sq. *Ego illud sedulo* negare *factum.* 148 sq. *Se filiam neget daturum.* 405 *Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.* 612 *Negabon uelle me?* Eun. 31 sq. *Eas se non negat personas transtulisse in Eunuchum suam.* 822 sq. *Illum eunuchum negant fuisse.* Heaut. 18 *Factum hic esse id non negat.* 350 *Iam hoc quoque negabis tibi placere?* Phorm. 113 *Illa enim se negat (copiam facturam esse).* 352 sq. *Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho? Hanc Demipho negat esse cognatam?* Hec. 120 *Ille primo se (uxorem ducturum esse) negare.* 538 *Negabas nuptam posse filiam tuam te pati.* Ad. 542 *Is filium negat esse ruri.* — Andr. 241 sq. Denegarat *se commissurum.* — Eun. 33 sq. *Eas fabulas factas prius Latinas scisse sese, id uero* pernegat (v. pag. 29).

Ad. 862 *Id esse uerum . . . facilest* noscere. — Hec. 155 sq. *Ubi hoc* cognouerit *non posse se mecum esse* (v. pag. 29).

Phorm. 777 Nuntia *hanc uenturam.* 906 sq. *Idque adeo uenio nuntiatum, Demipho, paratum me esse.* Hec. 314 *Me uenisse nuntia.* 371 sq. *Præcucurrit nuntians me uenisse.* — Andr. 508 *Id ego iam nunc tibi, ere,* renuntio, *futurum.* Heaut. 859 *Quid nunc renuntiem aps te responsum?*

Andr. 387 *Hoc sic esse* opinor. 929; Phorm. 355, 603; Hec. 95 sq., 772, 845; Ad. 648 *Ut*[1] *opinor has non nosse te.*

Heaut. 438 *Si te tam leni et uicto esse animo* ostenderis. 933; Phorm. 597 sq.; Ad. 124, 142 sq., 986 sq..

Hec. 679 Pollicita est *ea se concessuram ex ædibus.*

Phorm. 630 Pono *esse uictum eum.*

Hec. 791 *Easdem amicas fore tibi* promitto.

Ad. 162 sq. *Te posterius* purges *hanc iniuriam mihi (te) nolle factam esse.*

Andr. 113 sq. *Hæc ego* putabam *esse omnia humani ingeni mansuetique animi officia.* Cetera omnia ex. omitto. — Phorm. 246 *Omne id* deputare *esse in lucro.* 251 *Omne id deputabo esse in lucro.* Hec. 477 *Sese esse indignam deputat.* 524 *Tu uirum me aut hominem deputas adeo esse?* 799 *Edepol ne meam erus esse operam deputat parui preti.* — Andr. 15 sq. Disputant *contaminari non decere fabulas.*

Hec. 581 *Teque ante quod me amare* rebar, *ei rei firmasti fidem.* 819 *Uxorem, quam numquam est ratus posthac se habiturum, reddo.*

Eun. 308 Scis[2] *te mihi sæpe pollicitum esse.* Et passim alibi. — Eun. 736 Nescibam *id dicere illam.* — Andr. 400 *Puerum autem ne* resciscat *mihi esse ex illa cautiost.* Eun. 954 *Ille ubi id resciuit factum.* Heaut. 670 *Ne esse amicam hanc gnati resciscat senex.* 697; Phorm. 764; Hec. 208, 285, 519.

Phorm. 6 sqq. *Nusquam insanum* scripsit *adulescentulum ceruam uidere fugere et sectari canes et eam plorare, orare ut subueniat sibi.*

---

[1]) Anacoluthon. Utitur poeta acc. c. inf., quasi præcedat opinor. De quo Donatus ita: »Aut abundat ut aut deest scilicet«. Phorm. 480 sq. *Ut aibat de eius consilio sese uelle facere.*

[2]) Itidem cum acc. c. inf. coniungi potest scilicet (= scire licet): Heaut. 358 sq. *Scilicet facturum me esse.* 856 sq. *Scilicet daturum.* 892 *Iniecisse uerba tibi Dromonem scilicet.* Sæpius tamen hæc vox ad modum constituendum nihil pertinet: Andr. 185; Eun. 185 sq., 346; Heaut. 647, 705, 792 sq.; Phorm. 132, 695 sq.; Hec. 669; Ad. 811, 839, 874.

Andr. 173 *Dquom modo timere* sensi. Cet. ex. omitto. — Andr. 839 *Me adesse neuter tum* præsenserat. — Heaut. 471 sq. Subsensi *id quoque, illos ibi esse, id agere inter se clanculum* (v. pag. 29).

Andr. 472 *Hanc* simulant *parere.* Hec. 184 *Simulat se ad matrem accersi.* 188 *Aegram esse simulant mulierem.* 826 *Ille alias res agere se simulare.* — Andr. 735 *Uenire me* adsimulabo. Heaut. 332 sq. *Adsimulabimus tuam amicam huius esse amicam.* 358 *Sed istunc exora ut suam esse adsimulet.* Phorm. 893 *Quo me adsimularam ire ad mercatum, non eo.*

Ad. 724 sq. *Tu de psaltria me* somnias *agere.*

Andr. 167 Spero *confore.* 407 *Orationem sperat inuenisse se.* 522 *Spero adiuturos deos.* Eun. 203 sq. *Me eius spero fratrem propemodum iam repperisse.* 872 sq. *Spero æternam inter nos gratiam fore.* Heaut. 746 *Sperabit sumptum sibi senex leuatum esse harunc abitu.* Phorm. 1025 *Quid mihi hic adfers, quam ob rem* exspectem *aut sperem porro non fore?* Hec. 155 sq. *Illam spero . . . abituram.* 724 *Quod spero fore.* 872 *Speroque hanc rem esse euenturam nobis ex sententia.* Ad. 71 *Sperat fore clam.* 152 *Sperabam iam deferuisse adulescentiam.* Eun. 520 *Sperat se a me auellere.* 920 *Spero me habere.* Heaut. 102 sq. *Tibine hæc diutius licere speras facere?*

Hec. 476 *Neque mea culpa hoc discidium euenisse, id* testor *deos* (v. pag. 29).

Andr. 363 sq. ***Intro ire neminem*** uideo, ***exire neminem.*** 416 ***Utrumque adesse uideo.*** 482 ***Omnia huic esse uideo.*** 513 sq. ***Uidet nuptias domi apparari.*** 580 ***Atque secum uideo ipsum foras exire.*** 616 sq. ***Uiden me consiliis tuis miserum impeditum esse?*** 768 ***Quemne ego heri uidi ad uos adferri uesperi?*** Eun. 132 sq. ***Is ubi esse hanc forma uidet honesta uirginem et fidibus scire.*** 260 sq. ***Ille ubi miser famelicus uidet mihi esse tantum honorem et tam facile uictum quærere.*** 289 ***Sed uideo erilem filium minorem huc aduenire.*** 376 ***Numquam uidi melius consilium dari.*** 509 ***Ita me uideo ab ea astute labefactarier.*** 597 sq. ***Tum equidem istuc os tuom impudens uidere nimium uellem, qui esset status, flabellulum tenere te asinum tantum.*** 603 ***Uideo esse.*** 918 sq. ***Uirum bonum secum Parmenonem incedere uideo.*** 958 ***Quod ego numquam uidi fieri.*** 960 sq. ***Quis homo pro moecho unquam uidit in domo meretricia prehendi quemquam?*** 1015 sq. ***Uestem uidit illam esse eum indutum pater.*** 1028 ***Utinam tibi commitigari uideam sandalio caput!*** Heaut. 125 sq. ***Uideo alios festinare, lectos sternere, cenam apparare.*** 402 ***Immo ut patrem tuom uidi esse habitum, diu etiam duras dabit.*** 413 ***Cum uideam miserum hunc tam excruciarier.*** 417 sq. ***Filium meum amico atque æquali suo uideo inseruire et socium esse in negotiis.*** 563 sq. ***Uidin ego te modo manum in sinum huic meretrici inserere?*** 754 sq. ***Uerum ubi uidebit tantos sibi sumptus domi cotidianos fieri nec fieri modum.*** 907 ***Clinia hæc fieri uidebat?*** 962 sq. ***Te uidi animo esse omisso et suauia in præsentia quæ essent primo habere neque consulere in longitudinem.*** 1053 ***Uideo non licere ut coeperam hoc pertendere.*** Phorm. 6 sqq. (vide "scribere"). 95 sq. ***Modo quandam uidi uirginem hic uiciniæ miseram suam matrem lamentari mortuam.*** 177 ***Uideon ego Getam currentem huc aduenire?*** 253 ***Phædriam mei fratris uideo filium mihi ire obuiam.*** 464 ***Sed eccum ipsum uideo in tempore huc se recipere.*** 569 ***Uidet me eius mater esse hic diutius.*** 795 ***Sed meum uirum abs te exire uideo.*** 918 sqq. CH. "***Tum autem Antiphonem uideo ab sese amittere inuitam eam***" ***inque.*** DE. ***Tum autem uideo filium inuitum sane mulierem ab se amittere.*** 958 sq. ***Uides tuom peccatum esse elatum foras neque iam id celare posse te uxorem tuam.*** Hec. 126 sq. ***Uidet paratas nec moram ullam quin ducat dari.*** 250 ***Nunc uideo in illarum potestate esse te.*** 352 ***Atque eccum uideo***

*ipsum egredi.* 428 *Sed Pamphilum ipsum uideo stare ante ostium.* 597 *Uideo me esse inuisam.* 622 *Sed uideo Phidippum egredi per tempus.* 680 *Ademptam hanc quoque tibi causam uides.* 691 sq. *Te reuolutum denuo uideo esse.* 714 *Abhorrere animum huic uideo a nuptiis.* 854 *Sed Bacchidem eccam uideo stare ante ostium.* Ad. 94 sq. *Non fratrem uidet rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium?* 361 *Set eccum Syrum ire uideo.* 444 sq. *Huius generis reliquias restare uideo.* 668 sq. *Hanc sibi uidebit præsens præsenti eripi, abduci ab oculis.* 826 *Quæ ego inesse in illis uideo.* 827 sq. *Uideo eos sapere, intellegere, in loco uereri, inter se amare.* 918 sq. *Te uideo nostræ familiæ tam ex animo factum uelle* [1]).

Andr. 15 *Id isti* uituperant *factum.*

Dictiones quæ verbi notionem habent: Andr. 572 *Istuc* animum induxti *esse utile.* 883 sq. *Ita animum induxti tuom, quod cuperes aliquo pacto efficiundum tibi* (v. pag. 29). Heaut. 41 *Causam hanc iustam esse animum inducite.* Hec. 264 *Omnia esse ut dicis animum induco.* 277 sq. (v. pag. 29). Ad. 597 *Numquam te aliter atque es esse* [2]) *animum induxi meum.* — Hec. 292 *Leuia sunt, quæ tu pergrauia esse* in animum induxti *tuom.* Heaut. 49 (= Hec. 50) *Eum esse quæstum in animum induxi maxumum.* De Heaut. 1028 sq. v. pag. 29. — Hec. 831 sq. *Ind*est cognitio facta *Philumenam compressam esse ab eo et filium inde hunc natum.* — Hec. 392 *Parturire eam nec grauidam esse ex te solus* conscius (es). Ad. 348 sq. *Conscia mihi sum a me culpam esse hanc procul neque pretium neque rem ullam intercessisse illa aut me indignam.* — Andr. 223 sq. *Ibi tum hanc eiectam Chrysidis patrem recepisse orbam, paruam* fabulast. — Heaut. 571 *Ad mihi* fides *aput hunc* est *nihil me istius facturum.* Eun. 1060 Do *fidem futurum.* Hec. 1012 sq. *Si mihi fidem das te tacituram, dicam.* Eun. 139 *Si fidem* habeat *se iri præpositum tibi.* — Heaut. 892 sq. Iniecisse uerba *tibi Dromonem scilicet sponsæ uestem aurum atque ancillas opus esse.* — Hec. 697 Dabo ius iurandum *nihil esse istorum mihi.* Ad. 166 *Iusiurandum dabitur te esse indignum iniuria hac.* — Phorm. 16 sq. *Is sibi* responsum hoc habeat, *in medio omnibus palmam esse positam* (v. pag. 29). — Andr. 185 *Meum gnatum* rumor est *amare.* Heaut. 16 sq. *Rumores* distulerunt *maleuoli multas (illum) contaminasse Græcas.* Hec. 39 sq. *Rumor* uenit *datum iri gladiatores.* — Heaut. 298 *Magnum hoc quoque* signumst *dominam esse extra noxiam.* — Heaut. 981 Est spes ... *nos esurituros satis.* Phorm. 691 sq. Iniecta est *spes patri posse illam extrudi.* — Hec. 577 sq. *Non clam me est, gnate mi,* tibi me esse suspectam, *uxorem tuam propter meos mores hinc abisse.* Eun. 514 sq. *Iam tum* erat suspicio *dolo malo hæc fieri omnia.* — Ad. 203 sq. Testes faciet *ilico uendidisse me.*

*Annot. 1.* Acc. c. inf. et ut (Suec.: "hurusom") semel coniuncta sunt: Hec. 145 sqq. *Narratque, ut uirgo ab se integra etiam tum siet, seque ante ... sperasse eas tolerare posse nuptias.* [De hac vocis ut vi vide lex. Cav.: "Ut", I,1,b.]

Cfr Andr. 35 sqq. *A paruolo ut ... clemens fuerit seruitus, scis.*

---

[1]) Ex iis quæ allata sunt exemplis intelligere licet acc. cum inf. interdum verbo videndi subiunctum esse, ubi partic. præs. ad acc. obiecti se applicans exspectare possis. Partic. præs. his locis invenitur: Andr. 838 *Cum Dauo egomet uidi iurgantem ancillam.* Eun. 967 *Ecce autem uideo rure redeuntem senem.* Phorm. 607 *Sed patruom uideo cum patre adstantem.* Hec. 550 *Qui uidisse eum diceret exeuntem aut intro euntem ad amicam.* 806 sq. *Bacchidem ab nostro adfine exeuntem uideo.*

[2]) Codices: in. Vide Dziatzk. ad hunc locum.

***Annot. 2.*** Nusquam Ter. constructiones huic similes adhibet: Cic. ad. Att. XV,1 "De Antonio iam ante tibi scripsi, non esse eum a me conventum".

***Annot. 3.*** Hæc verba, si vis iubendi in iis inest, ut (ne) coniunctio cum coniunctivo iuncta sequitur, id quod vix opus est annotare: Andr. 594 *Ut apparetur dicam.* Eun. 735 *Nihil dixit, tu ut sequerere sese?* Heaut. 340 *Dicam ut reuortantur domum.* 651 *Eum dico ut una cum puella exponeret.* 781 sq. *Non ego dicebam in perpetuom ut illam illi dares, uerum ut simulares.* Ad. 796 sq. *Dictum hoc inter nos fuit... ne tu curares meum.* Hec. 565 *Edicam seruis, ne quoquam ecferri sinant.* Eun. 339 sq. *Diligenter nunties patri, aduocatus mane mihi esse ut meminerit.*

2) **Verbis voluntatis, studii, constituendi simil.**

Eun. 205 *Et is hodie uenturum ad me* constituit *domum.* Heaut. 726 *Quom uenturam dixero et constituero.* Hec. 195 sq. *Constitui cum quodam hospite me esse illum conuenturam.* 437 *Constitui me hodie conuenturum eum.*

Hec. 265 *Te hoc mihi* cupio *credere.* Ad. 698 *Hoc esse cupio uerum.*

Andr. 238 *Uxorem* decrerat *dare sese mihi hodie.* Hec. 586 *Ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decreui patre.*

Hec. 727 *Laches me nunc conuentam esse* expetit.

Phorm. 260 sq. *Ipsum* gestio *dari mihi in conspectum.*

Andr. 484 *Quod* iussi *ei dari bibere.* 464 *Quod peperisset iussit tolli.* 952 *Cur non illam huc transferri iubes?* Eun. 100 *Te accersi iussi.* 510 *Iussit me ad se adcersier.* 572 *Pro illo iubeam me illoc ducier.* 618 *Rogat ut illum admitti iubeat.* Heaut. 1047 sq. *Cur non accersi iubes filiam?* Phorm. 922 *Argentum rursum iube rescribi.* Hec. 466 *Heri Philumenam ad se adcersi hic iussit.* Ad. 285 *Lectulos iube sterni nobis et parari cetera.* 460 sq. *Saluere Hegionem plurumum iubeo* [1] (= volo, Donatus). 908 *Hanc in horto maceriam iube dirui.* [Solus inf. pass.: Andr. 546 *Accersi iube.* 741, 955; Eun. 836; Heaut. 775, 1001; Hec. 185. — Cfr Hec. 565 *Edicam seruis, ne quoquam ecferri* sinant].

Andr. 962 *Quem ego mihi potissimum* optem ... *dari?* Heaut. 758 *Te mihi ipsum iam dudum optabam dari.* — Hec. 532 sqq. *Adeon peruicaci esse animo, ut puerum* præoptares *perire ... potius quam aduorsum animi tui libidinem esset* [2] *cum illo nupta!*

Andr. 203 *Ubiuis facilius* passus *sim quam in hac re me deludier.* Heaut. 532 *Qui passus est id fieri.* 1037 *Patiar ... me infamem fieri.* Phorm. 518 *Horunc amorem distrahi poterin pati?* 536 sq. *Hunc patiemur, Geta, fieri miserum.* Hec. 538 *Negabas nuptam posse filiam tuam te pati.* 567 sq. *Nihil aput me tibi defieri patiar.* — Eun. 551 *Nunc est profecto, interfici cum* perpeti *me possum.*

Andr. 331 Postulare *id gratiæ apponi sibi.* Eun. 480 sq. *Non sibi soli postulat te uiuere et sua causa excludi ceteros.* Heaut. 1011 *Me tacere de hac re postules.* Hec. 564 *Sed ego stultior, meis dictis qui parere hanc postulem.* Ad. 200 *Emptam postulat sibi tradier.*

Andr. 271 *Egon propter me illam decipi miseram* sinam? 274 sq. *Sinam coactum egestate ingenium inmutarier?* 396 *Te corrumpi sinat.* Eun. 963 *Nequam in illum Thais*

---

[1]) Andr. 532 *Iubeo Chremetem (saluere).* Salutatio interpellatur verbis Chremetis.

[2]) Andr. 797 sq. *Sese inhoneste optauit parere hic ditias potius quam in patria honeste pauper uiueret.* Heaut. 478 sqq. *Si semel tuom animum ille intellexerit, prius* (= potius) *proditurum te tuam uitam ... quam abs te amittas filium.* Ad. 107 sqq. *Et tu illum tuom ... sineres nunc facere ... potius quam ... alieniore ætate post faceret tamen.* Vide Schmalz.: § 235,3.

*uim fieri sinat!* Heaut. 470 *Falli te sinas.* Phorm. 517 *Pamphilamne hac urbe priuari sines?* Ad. 97 *Tu illum corrumpi sinis.*

Eun. 313 sq. *Quas matres* student *demissis umeris esse.* Hac. 265 *Illam ad uos redire studeo.*

Phorm. 828 *Rogem, quod tempus conueniundi patris me capere* suadeat [1]. Hec. 481 *Nunc me pietas matris potius commodum suadet sequi.*

Andr. 50 *Quid facere in hac re te* uelim. Et alias sæpe. — Andr. 426 sq. *Dici solet omnis sibi* malle *melius esse quam alteri.* 430 *Se illam in somnis quam illum amplecti maluit.* 529 *Quid alias malim quam hodie has fieri nuptias?* Eun. 762 *Malo ego nos prospicere quam hunc ulcisci accepta iniuria.* Heaut. 267 sq. *Nihil rerum omniumst quod malim quam me hoc falso suspicarier.* Phorm. 658 *Nullam mihi malim quam istanc uxorem dari.* Hec. 540 *Quamuis causam hunc suspicari quam ipsam ueram mauolo.* Ad. 311 *Nihil est quod malim quam illam totam familiam dari mihi obuiam.* — Andr. 573 Nolo *tibi ullum commodum in me claudier.* Hec. 592 sq. *Tuas amicas te et cognatas deserere et festos dies mea causa nolo.* Heaut. 323 *Tuom esse in potiundo periclum non uis.* 433 *Non uolt te scire.* Hec. 348, 758 sq.; Ad. 162 sq., 187.

***Annot.*** Alias verborum conjunctiones hæc habent exempla: Hec. 280 *Filium multimodis iam* expeto ut *redeat domum.* Andr. 190 Postulo *siue . . . te oro, Daue, ut redeat.* 550 *Ita* uolo *itaque postulo ut fiat.* Ad. 874 *Illum ut uiuat* optant. Heaut. 382 Studuisti, *isti formæ ut mores consimiles forent.* Hec. 262 *Studeo hæc prius quam ille ut redeat.* Andr. 577 *Is mihi* suadet *nuptias quantum queam ut maturem.* Heaut. 1027 *Quod peto aut nolo, parentes meos ut conmonstres mihi.* Hec. 396 *Uolo doque operam, ut clam eueniat partus.*

Eun. 1054 *Quid* uis *faciam?* 894 sq. *Uin . . . domi opperiamur?* Heaut. 846 *Dic, quid uis faciam?* Phorm. 102 *Uoltisne eamus?* Hec. 436 *Quid uis dicam?* 753 *Sed scin, quid uolo potius sodes facias?* 787 *Ob eam rem uin ergo intro eam?* Ad. 138 *Unum uis curem.* 519 *Se defatigarit uelim.* 532 *Quam uellem . . . mos esset.* 681 *Uelim me promerentem ames.* — Ad. 782 *An tibi iam* mauis *cerebrum dispergam hic?* — Andr. 819 Nolo *me in tempore hoc uideat senex.* Eun. 906 sq. *Nolo me in uia cum hac ueste uideat.* Heaut. 701 *Quin* (= immo, Don.) *nolo mentiaris.*

Heaut. 26 *Omnes uos ora*tos uolo. 815 *Uellem hercle factum.* Phorm. 787 *Factum uolo.* Hec. 546 *Id nunc res indicium hæc facit, quo pacto factum uolueris.* 590 *Nobis . . . male dictum uelit.* Ad. 372 *Huic mandes, siquid recte curatum uelis* (Suecice: "vill hafva något riktigt ombesörjdt"). 919 sq. *Te uideo nostræ familiæ tam ex animo factum uelle.* — Phorm. 796 Nollem *datum.* Ad. 165 *Nollem factum.* 775 *Sane nollem huc exitum.*

Phorm. 582 *Si me alienus* adfinem uolet. Hec. 259 *Tu illam saluam magis uelis quam ego.* 464 *Illum uiuom et saluom uellem.* *Ad.* 695 Nolim *ceterarum rerum te socordem eodem modo.*

### 3) **Verbis affectuum.**

Heaut. 673 Crucior *bolum tantum mihi ereptum tam desubito e faucibus.*

Andr. 939 *Ne istam multimodis tuam inueniri* gaudeo. Eun. 587 sqq., 1038; Heaut. 816; Hec. 642 sq.. Vide pag. 16: 1).

Heaut. 765 Gloriare *euenisse ex sententia?*

---

[1] Umpf.: iubeat. Cod. A: suadeat.

Heaut. 879 sq. Gratulando ... *tuam esse inuentam gnatam.*

Heaut. 683 *Istuc tibi ex sententia tua optigisse* lætor. Hec. 833 *Hæc tot propter me gaudia illi contigisse lætor.*

Eadem ratione e dictionibus quæ verbi notionem habent acc. cum. inf. pendet:

Phorm. 596 *Dis* gratias agebat *tempus sibi dari.* Andr. 42 *Id gratum fuisse ...* habeo gratiam. Phorm. 54 *(Te) non neclexisse habeo gratiam.*

Hec. 562 Incendor ira *esse ausam facere hæc te.*

Phorm. 820 Lætus sum ... *fratri optigisse quod uolt.*

Andr. 191 *Omnes, qui amant,* grauiter *sibi dari uxorem* ferunt.

***Annot.*** Sexies apud Ter. cum coniunctio sequente indicativo invenitur.[1] Phorm. 894 sq. quando legitur: *Dis magnas merito gratias habeo atque ago, quando euenere hæc nobis, frater, prospere.*

## Additamentum.

Omnium ætatum scriptorum hoc est commune, quod utique post verba dicendi, putandi, sperandi, confitendi simil. subiectum infinitivi (me, te, se, nos, vos), si facile id ex prægressis vel sequentibus potest erui neque graviter ostendendum est, interdum omittunt, ut pro acc. cum inf. solus inf. legatur. Apud optimos solutæ orationis scriptores nulla fere huiusmodi prætermissio fit, nisi subiectum infinitivi idem est atque illorum verborum; at alii, imprimis comici, maiore licentia utuntur, quare apud eos non solum pronomina pers. sed etiam pronomen demonstr. is, cum ratio subiecti contraria sit, sæpius omittuntur. Sed tamen animadvertendum est haud raro esse hanc accusativi prætermissionem ab eo ortam, quod eadem vox, eandem plerumque habens formam, brevi spatio præcedit. Ceterum præsens inf. nonnumquam invenitur pro fut..

Eas voces, quæ prædicativi loco se ad subiectum infinitivi applicant, Ter. semper in acc. ponit.

Andr. 14 *Fatetur transtulisse atque usum pro suis.* 144 sqq. *Clamitans indignum facinus*[2] *comperisse.* 358 *Negat uidisse.* 379 *Negaris ducere.* 394 *Patri dic uelle.* 401 *Pollicitus sum suscepturum.* 429 *Memini uidere* (Umpf.: uideri; libri: uidere). 470 *Sensisse ait.* 353 sq. *Ait tibi uxorem dare hodie.* 613 *Sum pollicitus ducere.* 688 *Uidere ait te cupere.* 728 sq. *Si forte opus sit ad erum iurato mihi non apposisse.* Eun. 513 *Ait rem diuinam fecisse et rem seriam uelle agere mecum.* Heaut. 19 *Facturum autumat.* 500 sq. *Dicam ... hodie non posse eis dare.* 626 sq. *Meministin ... te maxumo opere edicere ... nolle tolli?* 661 *Quid renuntiauit olim fecisse?* 724 *Decem minas quas mihi dare pollicitus est.* 726 *Cum uenturam dixero et constituero.* 768 sq. *Dixit ... secum adduxisse.* Phorm. 864 *Ait esse uetitum.* Hec. 60 sqq. *Pamphilus iurabat ... numquam illa uiua ducturum uxorem domum.* 147 *Sperasse eas tolerare posse.* 235 *Me odisse adsimulauerit.* 427 *Quod nunc minitare facere.* 550 *Qui uidisse eum diceret exeuntem.* 751 sq. *Id pollicerer tibi, Laches, segregatum habuisse ... a me Pamphilum.* Ad. 77 *Fateatur nescire imperare.* 151 *Dixit uelle.* 162 *Te posterius purges, hanc iniuriam mihi nolle factam esse.* 561 *Produxe aibas.*

---

[1] Vide Dziatzk. ad Ad. 139.

[2] Umpf. indignum facinus a ceteris segregat, ut per se intelligatur. Vide Speng. ad hunc locum.

Andr. 124 *Sororem (eam) esse aiunt Chrysidis.* 402 *Qui se sciret (me) non deserturum.* 517 sq. *Intellexeras id consilium (eam) capere.* 553 *Ut sperem (eas) posse auelli.* 560 *Spero . . . (eum) ex illis sese emersurum malis.* 840 *Id (eas) facturas . . . prædixit.* 898 *Hanc uis mittere (me).* 976 *Facturum (eum) quæ uoles scio esse omnia.* Eun. 106 *(Me) tacere si uis.* 331 sq. *Illum liquet mihi deierare . . . (me) non uidisse.* 557 *Uideo (eum) uelle.* 660 sq. *Suspicor aliquid domo (eum) abeuntem abstulisse.* 700 *Fratrem meum esse (eum) scibas.* 796 *Ui mauis (eam) eripi.* 858 *Conseruam (eam) esse credidi.* Heaut. 7 *Nouam (eam) esse ostendi.* 16 sq. *Rumores distulerunt . . . (illum) contaminasse Græcas.* 358 *Suam esse (eam) adsimulet.* 407 *Saluom (te) uenisse gaudeo.* 627 *Nolle (eam) tolli.* 881 *Ut nihil credas (illos) intellegere.* 891 *Desponsam (eam) nuntiasti filio.* 1001 *Miror non . . . (eum) iusse.* 1020 *Conuinces facile ex te (eum) esse natum.* Phorm. 54 *(Te) non neclexisse habeo gratiam.* 205 sq. *Arbitrabitur (te) commeruisse culpam.* 315 *Itane patris ais aduentum ueritum hinc (eum) abiisse?* 459 sq. *Negant (eum) redisse.* 610 *Uenire (te) saluom uolup est.* 626 sq. *An legibus (eum) daturum poenas dices?* 681 *Uxori tibi (eum) opus esse dixero.* 801 *Cognatam (eam) comperi esse nobis.* 1014 *Esse (eum) in hac re culpam meritum non nego.* 1022 *Aetate porro (eum) minus peccaturum putem.* Hec. 76 *(Me) isse dicito.* 215 *(Me) nescire arbitramini.* 238 *Lassam oppido tum (eam) esse aibant.* 353 *Gaudeo (te) uenisse saluom.* 393 *Aiunt (eam) . . . concubuisse.* 413 *Parturire (eam) intellegat.* 438 *(Me) non posse* [verbum dicendi deest; sumitur a superiore sententia, ubi legitur: quid uis dicam]. 452 *Uenisse (eum) aiunt.* 489 *(Eam) fuisse erga me miro ingenio expertus sum.* 499 *Non credidi edepol (eum) adeo inhumanum fore.* 617 *Credo . . . (eas) concordes . . . fore.* 638 *Sensit (eam) peperisse.* 641 *Neque (eam) fuisse prægnatem . . . sciui.* 657 *Quod (eam) celasse intellego.* 822 sq. *Memini (eum) . . . confugere anhelantem.* Ad. 270 *(Me) facere existimes.* 359 *Credo (eum) abductum.* 401 *(Eum) aliquid ruri agere arbitror.* 402 *Satin scis (eum) ibi esse?* 518 *Operis aliquid (eum) facere credo.* 750 *(Te) facturum credo.* 826 sq. *Confidam (eos) fore ita ut uolumus.*

Hic atque aliis paucis locis pron. demonstr. omissum est apud pron. relat.: Phorm. 4 sq. *Dictitat, quas antehac fecit fabulas, tenui esse oratione.*

# C. Acc. cum inf. in exclamationibus et interrogationibus

persæpe usurpatur, quo scribendi genere indicatur indignari aliquem de aliqua re, dolere, admirari. Sæpissime ne additur, qua particula interrogativa quodam modo, sitne res vera, fierine possit, leviter in dubium vocatur.[1])

a) Ne exstat.

Annectitur hæc particula ad eam enuntiationis vocem, quæ omnium gravissima est ideoque tenet locum primum.

Andr. 245 *Adeon hominem esse inuenustum aut infelicem quemquam, ut ego sum!* 425 *Nullane in re esse cuiquam homini fidem!* 609 *Seruon fortunas meas me commisisse futtili!* 689 *Sicine me atque illam opera tua nunc miseros sollicitari!* 716 *Nihilne esse proprium cuiquam!* Eun. 225 sq. *Adeon homines inmutarier ex amore, ut non cognoscas eundum esse!* 360 *Numquamne etiam me illam uidisse!* 553 *Neminemne curiosum interuenire nunc mihi!* Heaut. 921 *Tene istuc loqui!* 980 *Adeon rem rediisse!* Phorm. 153 *Adeon rem redisse!* 339 *Ten asymbolum uenire unctum atque lautum!* 466 *Itane te hinc abisse et uitam tuam tutandam aliis dedisse!* 497 *Adeon ingenio esse duro te!* 499 *Adeon te esse incogitantem!* 977 *Tantane adfectum quemquam esse hominem audacia!* Hec. 645 *Nosne hoc celatos (esse) tam diu!* Phorm. 810 *Itan paruam mihi fidem esse aput te!* Ad. 38 sq. *Quemquamne hominem in animo instituere parare quod sit carius quam ipse est sibi!* 237 *Hocine incipere Aeschinum?* 390 *Hæcine fieri!* 408 *Hæcine flagitia facere te!* 448 sq. *Ex illan familia tam inliberale facinus esse ortum!* 610 sq. *Hocine ex inprouiso mali mihi obici tantum!*

b) Ne abest.

Eun. 755 *Militem secum ad te quantas copias adducere?* Heaut. 503 *Ita conparatam esse hominum naturam omnium?* 630 *O Iuppiter, tantam esse in animo inscitiam!* Phorm. 503 *Tum hoc esse mihi obiectum malum!* 528 *Sic hunc decipi!* 884 *Tantam fortunam de inprouiso esse his datam!* 978 *Non hoc publicitus scelus hinc asportarier!* [Hæc enuntiatio verba illa supra allata "Tant*ane* adfectum quemquam esse hominem audacia" proxime sequitur.] Hec. 226 *Non te pro his curasse rebus!* 613 *Hinc abire matrem?* Ad. 408 sq. *Hæc te admittere indigna genere nostro!* [Vide quæ de Phorm. 978 diximus.] 562 *Non puduisse uerberare hominem senem!* 629 sq. *Non me hanc rem patri . . . indicasse!* 934 *Me ducere autem?*

---

[1]) Vide Kuehnerum: pag. 532.

Nonnullis locis solus inf. exstat. Facile tamen intelligi potest, quos spectent enuntiata.

a) Ne exstat.

Andr. 253 *Tantamne rem tam neglegenter agere* (sc. patrem)! Eun. 644 *Hocine tam audax facinus facere esse ausum* (sc. eum)! Heaut. 751 *Illancine mulierem alere cum illa familia* (sc. eum)! Hec. 532 *Adeon peruicaci esse animo* (sc. te)!

b) Ne abest.

Eun. 208 sq. *Ah rogitare* (sc. te), *quasi difficile sit!* Andr. 870 *Tantum laborem capere* (sc. me) *ob talem filium?* 879 *Adeo inpotenti esse animo* (sc. eum). Phorm. 1032 *Nihil pudere* (sc. te)? 232 sq. *Non simultatem meam reuereri saltem* (sc. eum)! *Non pudere* (sc. eum)!

*Annot.* His cognatæ sunt tales sententiæ, quales invenimus Andr. 263 *Eine ego* ut *aduerser?* et 618 *Tibi ego* ut *credam?* de quibus vide Holtz.: pag. 164 sq., 263 et Kuehner.: pag. 1007 sq..

# D. Acc. cum inf. epexegeticus vel pro appositione accipiendus.

De hoc accusativi cum inf. usu illa demonstro, quæ supra sunt de eiusdem generis solo inf. allata.

Andr. 144 sq. *Clamitans indignum facinus comperisse, Pamphilum pro uxore habere hanc peregrinam.* 180 *Id uoluit, nos sic necopinantis duci falso gaudio.* 220 sq. *Fingunt quandam inter se nunc fallaciam, ciuem Atticam esse.* 281 *Unum hoc scio, hanc meritam esse.* 409 sqq. *Crede inquam hoc mihi, Pamphile, numquam hodie tecum commutaturum patrem unum esse uerbum, si te dices ducere.* 426 sq. *Uerum illud uerbumst, uolgo quod dici solet, omnis sibi malle melius esse quam alteri.* 497 *Credon tibi hoc nunc peperisse hanc.* 506 *Hoc ego scio unum, neminem peperisse hic.* 671 sq. *Nisi si id putas . . . non posse iam ad salutem conuerti hoc malum.* 835 *Id maxume utilest, illum esse quam deterrumum.* 883 sq. *Ita animum induxti tuom, quod cuperes aliquo pacto efficiundum tibi.* Eun. 5 sq. *Sic existimet, responsum, non dictum esse.* 114 sq. *Hoc addebat . . . se audisse abreptam e Sunio.* 199 sqq. (hoc certo scio), 275 sq. (hoc nunc dicis), 660 sq. (hoc suspicor), 724 (id dic), 778 sq. (uirtutem noueram et uim), 877 sq. (unum hoc scito), 998 sq. (id gaudeo), 1069 sq. (credere hoc). Heaut. 324 (id saperest), 471 sq. (subsensi id), 478 sq. (tuom animum intellexerit), 632 sq. (id scio), 749 sq. (uicem miseret me), 922 sq. (id flagitiumst), 973 sq. (quæ istast prauitas quæue amentia est), 1028 sq. (istuc in animum inducas). Phorm. 16 sq. (responsum hoc habeat). Hec. 155 sq. (hoc cognouerit), 277 sq. (ita animum induxerunt), 677 sq. (hanc dixti causam), 751 sq. (id pollicerer), 845 sq. (sic te dixe), 870 sq. (ita dixit). Ad. 258 sq. (unam hanc rem), 272 (hoc mihi dolet), 568 (idem sentit), 594 sq. (ita putant), 599 sq. (istæc eadem dicas), 803 sq. (uetus uerbum hoc quidemst), 992 sqq. (id uoltis).

Eadem fere, quæ pag. 13 de Phorm. 237 sq. diximus, etiam de his locis dicere possumus: Eun. 34 *Scisse sese, id uero pernegat.* Heaut. 874 *Ego me non tam astutum neque ita perspicacem esse id scio.* Hec. 476 *neque mea culpa hoc discidium euenisse, id testor deos.* Ad. 682 *Me hoc delictum admisisse in me, id mihi uehementer dolet.*

---

# III.

# Infinitivus historicus.[1])

Cum alii rerum gestarum scriptores tum Sallustius infinitivo præs. sæpe pro verbi formis finitis (imperf. et præs. hist.) utuntur, quo vehementior graviorque fiat narratio et eos qui legunt tamquam in rem præsentem adducat. Neque tamen illi soli. A Ter. hic inf., qui dicitur, historicus sæpenumero adhibetur idque non solam tertiam personam, ut apud illos sæpissime, exprimens sed etiam primam. Nulla ceteroquin enuntiationis mutatio fit, quare subiectum nominativo indicatur. Sed pronomina quæ vice subiecti funguntur tum omitti possunt, cum accentu quasi non notanda sunt atque facile possunt ex prægressis mente addi.

Præterea id tantum commemoratum volo, infinitivum hist. sæpissime inveniri præcedentibus temporibus finitis vel sequentibus.

Andr. 62 sqq. *Sic uita erat: facile omnes perferre ac pati; cum quibus erat cumque una, eis se dedere, eorum obsequi studiis.* 96 sq. *Cum id mihi placebat, tum uno ore omnes omnia bona dicere et laudare fortunas meas.* 146 sq. *Ego illud sedulo negare factum. Ille instat factum.* 369 *Holera et pisciculos minutos ferre obolo in cenam seni.* Eun. 391 *Magnas uero agere gratias Thais mihi?* 401 sq. GN. *Rex te ergo in oculis . . . gestare?* TH. *Uero; credere omnem exercitum.* 410 sqq. *Inuidere omnes mihi, mordere clanculum; ego non flocci pendere; illi inuidere misere.* 432 *Risu omnes qui aderant emoriri; denique metuebant omnes iam me.* 515 sq. *Ipsa accumbere mecum, mihi sese dare, sermonem quœrere.* 618 sq. *Ille continuo irasci neque negare audere; Thais porro instare ut hominem inuitet.* 623 *Miles uero sibi putare adductum ante oculos œmulum.* 626 *Miles tendere; inde ad iurgium.* Heaut. 895 *Magis unum etiam instare, ut hodie conficiantur nuptiœ.* Phorm. 92 sq. *Nos mirarier, rogamus quid sit.* 117 sq. *Noster quid ageret nescire.* Hec. 120 sq. *Ille primo se negare; sed postquam acrius pater instat, fecit.* 164 sqq. *Hœc . . . pudens modesta, incommoda atque iniurias uiri omnis ferre et tegere contumelias.* 181 sqq. *Si quando ad eam accesserat confabulatum, fugere e conspectu ilico, uidere nolle; denique ubi non quit pati, simulat ad matrem accersi ad rem diuinam, abit.* 826 *Ille alias res agere se simulare. Postquam uideo, nescio quid suspicarier, magis coepi instare.* Ad. 44 sqq. *Ille contra hœc omnia*

---

[1]) Sunt qui eum adumbrativum appellent.

*ruri agere uitam; semper parce ac duriter se habere; uxorem duxit.* 863 sqq. *Ille suam semper egit uitam in otio . . . placidus, nulli lædere*[1] *os, adridere omnibus; sibi uixit.*

*Annot.* Accusativus cum inf. quattuor locis est ex eo aptus, quæ sententiarum coniunctio apud alios scriptores raro invenitur.

Andr. 146 sq. *Ego illud sedulo negare factum. Ille instat factum.* Eun. 623 *Miles uero sibi putare adductum ante oculos æmulum.* Hec. 120 *Ille primo se* (uxorem ducturum esse) *negare.* 826 *Ille alias res agere se simulare.*

---

[1]) Forsitan potius probanda sit sententia Dziatzkonis.

# IV.

# De temporibus infinitivi.

### 1. **Præsens.**

Vulgari generi orationis convenienter inf. præs. interdum pro fut. usurpatur post verba quæ sunt aio, dico, minitor, nego, polliceor, spero. Subiectum infinitivi tum omissum est, tum exstat.

Andr. 353 sq. Ait *tibi uxorem dare hodie.* Ad. 224 *Te aiunt proficisci Cyprum.*

Andr. 411 *Si te* dices *ducere.* Phorm. 531 sq. *Cras mane argentum mihi miles dare se dixit.*

Hec. 427 *Quod nunc* minitare *facere.*

Andr. 379 *Si tu* negaris *ducere.*

Andr. 613 *Sum* pollicitus *ducere.* Heaut. 724 *Decem minas quas mihi dare pollicitus est.*

Eun. 520 Sperat *se a me auellere.* 920 *Spero me habere* (pro habituram aut spero pro credo, Donatus).

### 2. **Perfectum.**

Solus inf. his locis est in perf. positus, ubi ex nostra lingua verborum coniunctionem spectans præs. exspectaveris. Quo in tempore utendo poeta non tam ad actionem infinitivi animum attendit quam ad eius eventa.

a) Apud locutionem impersonalem melius erit:

Ad. 180 *Ante ædes non fecisse erit melius hic conuicium.*

b) Apud verbum volo cum interdictione coniunctum. Hic perf. temporis usus ad exemplar orationis generis legum proprii factus est.

Hec. 563 *Interdico ne extulisse extra ædis puerum usquam uelis.*

*Annot.* In constructione acc. cum inf. e verbis expeto, volo, nolo pendente perf. pass. nonnumquam reperitur voce "esse" sæpissime omissa; quo orationis genere id quod in votis est quasi iam perfectum gravius ostenditur. Interdum etiam acc. omissus est. Suecice potest hic perf. temp. usus verbis "vill hafva" simil. reddi.

Similiter etiam post oportet acc. cum part. perf. pass. vel solum part. perf. pass. sæpe usurpatur.

Exempla iam supra videre potuisti, quare satis erit hæc tantum commemorasse:

Hec. 727 *Laches me nunc conuentam esse expetit.*

Andr. 510 *Prorsus a me opinionem hanc tuam esse ego amotam uolo.*

Andr. 667 sq. *Si omnes hunc coniectum in nuptias inimici uellent.* Heaut. 26 *Omnes uos oratos uolo.*

Andr. 239 *Nonne prius communicatum oportuit?* Ad. 214 *Adulescenti morem gestum oportuit.* Heaut. 634 sqq. *Si meum imperium exsequi uoluisses, interemptam oportuit, non simulare mortem uerbis, re ipsa spem uitæ dare* (obs. e verbo oportuit solum infinitivum activi hic simul pendere).

---

# APPENDIX.

1. Ellipses infinitivi valde frequentes sunt apud Ter., utpote cuius comoediæ sæpe in sermone familiari versentur. Tum inf. aut ex præcedentis sententiæ verbo repetendus est aut cogitatione supplendus: ut Ad. 656 "Quid illas censes?" ubi ex eiusdem versus verbo "aiunt" repetendum est dicere. Huius rei exempla, quæ multa habemus, et his sunt locis et passim alibi.

Andr. 29 *Paucis te uolo* (alloqui). 853 *Quid illum censes* (facere). Eun. 133 *Fidibus scire* (canere). 957 *Nunc minatur porro sese* (facturum esse) *id quod moechis solet* (fieri). Phorm. 113 *Illa enim se negat* (copiam facturam esse). 196 *Ipse est quem uolui obuiam* (mihi ire). Ad. 274 sq. *Tam ob paruolam rem pæne e patria* (fugere)! 264 *Nihil pote supra* (esse vel dici). 568 *Non potuit melius* (facere). 732 *Istocine pacto oportet* (fieri vel te facere). 454 *Nisi facient quæ illos æquomst* (facere).

2. Itidem verbum finitum, e quo infinitivus pendet, sæpe omittitur. Exempla hi atque alii multi loci præbent.

Ad. 432 *Mentem uobis meliorem dari* (volo, quod facile e præcedente verbo uis erui potest). 949 *Quid facere* (decet; v. 948 extr. idem verbum legitur). Zeugma: Andr. 624 *Namque hoc tempus præcauere mihi me, haud te ulcisci sinit* (præcauere pendet ex iubet vel cogit, quod est e sinit eruendum).

3. Quotidiani sermonis hoc proprium est, quod paratactica, quæ dicitur, sententiarum coniunctio sæpenumero usurpatur pro hypotactica, id quod tamen qua est commoditate apud scriptores quoque, maxime scilicet apud fabularum scriptores aliosque qui sermonem quotidianum multum imitantur, frequenter invenitur. Eiusmodi exempla et his invenimus locis et aliis:

Eun. 56 sqq. *Etiam atque etiam cogita, ere, quæ res in se neque consilium neque modum habet ullum, eam consilio regere non* potes. 713 sq. *Non* potest *sine malo fateri, uideo.* Heaut. 588 *Recte* dicit, *censeo.* Ad. 79 sq. *Credo iam, ut solet*, iurgabit. Hoc modo imprimis verba sentiendi cum sententiis primariis coniunguntur.

***Annot. 1.*** Verbum sentiendi vel dicendi nonnumquam παρενθέτως inseritur. Satis erit hæc exempla attulisse.

Ad. 101 sq. *Non est flagitium, mihi crede, adulescentulum scortari* (mihi crede idem fere significans quod profecto). Phorm. 494 *Crede mihi, gaudebis facto* (obs. crede mihi

primum enuntiationis locum tenere). Hec. 770 *Noster socer, uideo, uenit.* Ad. 188 *Leno sum, fateor, pernicies communis.*

Cfr Hec. 598 *Sic optume,* ut *ego opinor, omnis causas præcidam.*

*Annot. 2.* Semel atque iterum pronomen demonstr. sententiam posteriorem præmonstrat, ut sit ea pro appositione accipienda.

Eun. 898 sq. *Crede hoc meæ fidei, dabit hic pugnam aliquam denuo.* Heaut. 795 sq. *Uerum illud, Chremes, dicunt, ius summum sæpe summa est malitia.* Phorm. 137 sq. *Unum hoc scio, quod fors feret, feremus æquo animo.* Ad. 163 *Crede hoc, ego meum ius persequar.*

4. In constructione quæ nomine accusativi cum inf. notatur inf. vel acc. cum inf. vices accusativi sustinere potest.

Andr. 330 sq. *Neutiquam officium liberi esse hominis puto, cum is nihil mereat,* postulare *id gratiæ apponi sibi.* Eun. 260 sq. *Uidet mihi esse . . . tam facile uictum* quærere. Heaut. 21 *Licere id* facere . . . *putat.* 49 sq. (= Hec. 50 sq.) *Eum esse quæstum in animum induxi maxumum quam maxume* seruire *uostris commodis* (v. pag. 13). Phorm. 603 *Commodius esse opinor duplici spe* utier. Hec. 153 *Hoc ego* proferre *incommodum mihi esse arbitror.* Ad. 57 sq. *Pudore et liberalitate liberos* retinere *satius esse credo quam metu.* 562 *Non puduisse* uerberare *hominem senem!*

Andr. 15 sq. *Disputant* contaminari *non decere* fabulas. Heaut. 214 sq. *Qui æquom esse censent* nos *a pueris ilico* nasci *senes neque illarum adfinis* esse *rerum.* Phorm. 814 sq. *Commodius esse in omnis arbitror* . . . manere hanc. Ad. 960 *Iudico* Syrum fieri *esse æquom liberum.*

Andr. 196 sqq. pro acc. legitur interrogatio: *Si sensero . . . te . . . uelle in ea re ostendi,* quam sis callidus.

